


PALAESTRA LATINA



ANN. XXVI (Fasc. II) — N. 154
M. JUNIO A. MCMLVI

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum Latinarum commentarii **BARCINONE** edendi

Commentariorum pretium: in Hispania, 28 ptarum.; in America, 43; in reliq. civ., 55 ptarum.

Pretium PALAESTRAE ADULESCENTIUM: 15 ptarum.; Extra Hispaniam et Americam, 20 ptarum.

Pretium mittatur oportet ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Apartado 1042 - BARCELONA

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - BARBASTRO (Huesca)

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

I N D E X

ANN. XXVI (Fasc. II) N. 154

M. JUNIO A. MCMLVI

N. MANGEOT, S. J., <i>De idibus martiis</i>	65
AE. ORTH, <i>De Sallustio</i>	66
A. GUERCIO, <i>Itur ad astra</i>	73
I. GONZÁLEZ, <i>Nova et Vetera: Alveare</i>	81
J. M.º MIR, <i>Interpretatio Latina «Magistri Perezii». Magister Perezius, organi moderator: «Maese Pérez, el organista»</i>	84
J. HOLZER - MIR, <i>Epistularum inter socios commercium de voce «báscula»</i>	98
J. MORABITO, <i>Ad vesperam - De se ipse</i>	102
J. GARCIA, <i>Per Orbem</i>	103
J. SIDERA, <i>Collectanea</i>	106
BIBLIOGRAPHIA, González, Sidera, García, Mir	108
PALAESTRA ADULESCENTIUM:	
<i>Certamen Latinum</i>	117
J. ARAMENDIA, <i>Gallinulae nigrae fabella.</i>	118
<i>Epistulae mutuo dantur inter alumnos</i>	120
<i>Paedagogus: Aenigmata</i>	121
<i>Beruete, Gratus leo</i>	122
<i>Argumenta seu themata certaminis Latini</i>	124
<i>Paedagogus: Miscentes utile dulci</i>	126
FORCANO, MANCHO, DOLD, GIRONES, PEREZ, <i>Rideant pueri.</i>	127
HERREROS, LATKOVSKI, ELCANO, BERUETE, <i>Curiosa et jocosa</i>	128

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

ANN. XXVI (FASC. II) – N. 154

M. JUNIO

A. MCMLVI

DE IDIBUS MARTIIS

Illuxerant Idus Martiae et patres conscripti, inter quos plus quam sexaginta conjurati, qui rei publicae libertatem acerrime servare studebant, jussu Caesaris in curiam convenerant. Ipse autem, cum paulum aegrotaret, eo se conferre cunctabatur nec precibus Calpurniae uxoris cedebat. Monitus quidem fuerat paulo ante ab haruspice quodam; sed ut erat periculorum contemptor, nihili ejusmodi vaticinia faciebat. Exspectabant per diu senatores ipsius adventum et conjurati magnopere timebant, ne, si conjuratio felicem non haberet exitum, ipsis perniciosa esset. Tandem Caesar in senatum ire animum induxit. Quo dum properat, obviam fit haruspex ille. Cui, ubi videt, subridens: «Ecce Idus Martiae et vivo». At ille: «Sunt quidem, sed nondum abierunt». In curiam ipsam, ingenti Pompeji statua ornatam cum venit, servos hostias mactantes offendit, sed sacrificare ob temporis angustias non vult. Surgunt de more patres conscripti. Considit Caesar, ipsi assidere nolunt. En Tullius Cimber sese ad Caesaris pedes abicit et, ut fratri exulanti impune redire liceat, flagitat. Neganti preces Cimber togam vellit. Ita enim de morte inferenda convenerat. Jam Casca pugione Caesaris collum appetit. «Stulte, quid facis» exclamat appetitus et se stilo defendit. Tum omnes arma nudant. Quocumque Caesar spectat, pugiones dstrictos videt et frustra de sella surgere temptat. Tum conjurati omnes uno animo in eum irruunt et in faciem, pectus, oculum feriunt. Ipse autem parum ingemiscens caput toga velat nec ullo doloris signo dato interfectores sustinet. Tandem viginti tribus ictibus confossus ante Pompeji statuam, quam in curia erigendam curaverat, exanimis corruit, praeclarissimis naturae dotibus ornatus, orator fervidus, poëta, belli gerendi dux summus, renovatae artis militaris et calendarii auctor, administrator peritissimus. En jacet cruore opletus, quo majorem Italia non tulit. Sed ipsius de bello Gallico et civili commentario litterarum studiosi et legebant et legent, quoad sermonis Latini studium florebit. Jam caede facta diffugiunt interfectores velut furiis agitati. Moxque per Urbem: «Caesarem occisum» clamores et ululatus audiuntur. Tum demum, quantum detrimentum acceperint, cognoscunt. Ingens populi, quem ipse summis largitionibus sibi conciliaiat, furor, summus interfectorum timor, consilii prorsus egentium. Sed veniet ultor, qui, quod Caesar appetierat, prudenter et moderate ad absolutionem adducat, Octavianus Augustus.

N. MANGEOT, S. J.

DE SALLUSTIO

Gajus Sallustius Crispus (86-35 a. Ch. n.) dum Romae studiis litterarum incumbit etiam arti poëticae studet. Annos fere triginta natus munera rei publicae subiit, primo quaestor fuit (a. 54), deinde tribunus plebis (a. 52), praetor (a. 46), proconsul (a. 46); sed consul factus non est quia discordiis factionum, quibus senatores agitabantur, perterritus, magistratibus denique omnino sese abdicavit. Quo facto ad res gestas Romanas scribendas se convertit quoad diem suum obiit. Maximam adeptus est gloriam libris «De Catilinae conjuratione» et «De bello Jugurthino» scriptis, ut «rerum Romanarum florentissimus auctor» a Tacito (*Annales* 3, 30) judicaretur. Sallustius etiam opus poëticum, quod inscriptum est «Empedoclea», composuit, de quo Cicero in epistula *ad Quintum fratrem*, 2, 9, 3, ita existimavit: «virum te putabo, si Sallusti Empedoclea legeris, hominem non putabo». Cicero Lucretii et Sallustii poëmata inter se comparavit in eadem epistula ad fratrem, nam hi quidem poëtae aequales erant, sed diversas philosophiae scholas sectabantur et versuum artificio inter se valde differebant.

Lucretius enim erat imitator Epicuri, Sallustius vero Empedoclem, ab Epicureis maledictum, amabat. Illo enim tempore, primo ante Christum natum saeculo, studia philosophorum antiquorum apud Romanos florebant; et casu quodam Sallustius omnia Empedoclis scripta in aliqua bibliotheca Romae invenisse, iisque ita se delectasse videtur, ut scripta illius philosophi praesocratici metro hexametro conformata in versus Latinos ejusdem metri reddere constitueret. Dum Lucretius laborem multo faciliorem suscipit, prosam Graecam in versus Latinos cogere, Sallustius gravissima difficultate oppressus est Latinitate recenti exornandi versus priscos linguae Graecae—velut sacrae et hieraticae—viri tamquam divini Empedoclis; itaque Quintilianus 9, 3, 17, jure de Sallustio pronuntiavit «ex Graeco translata vel Sallustii plurima». Lucretii opus «De rerum natura» plus quam septem milia versuum complectitur et Empedoclis carmen *περὶ φύσεως* et illud ejusdem Graeci opusculum quod *καθαροί* inscribitur quinque fere milia versuum continuisse dicitur (Cfr. *DIOGENES LAERTIUS*, 8, 77). Sallustius quidem non fuit primus Romanorum, qui opus Graecum versibus Latinis est interpretatus; Cicero enim ipse Arati «Phaenomena» latine imitatus est in eo opusculo quod «Aratea» inscribitur. Sallustius viginti annis minor natus quam Cicero, fortasse modum carmina pangendi poëtarum novorum adhibuit, quem Tullius vituperare solebat (Cfr. *Tuscul. disput.*, 3, 19, 45; *Orator*, 48, 161; *Epist. ad Attic.*, 7, 2, 1), unde intellegi potest illud Ciceronis iudicium de Sallustio poëta (in *epistula ad Quintum fratrem*).

Nullum dubium est quin Sallustius carmina «Empedoclea» scripserit, nam dictionibus poëticis scripta Sallustii quae manserunt, abundant, quae tamquam vestigia juventutis poëticae scriptoris haberi possunt. Gellius enim 3, 1, 5: «Sallustius circumlocutione quadam poëtica usus est, cum dicere vellet hominem avaritia corrumpi»; et idem Gellius 3, 1, 16 Sallustii periphrasim poëtarum admiratur Ante me ALFRED SCHOENE scripsit: «Die Empedoclea des Sallustius» (*Jahrbücher für classische Philologie - Jahns Jahrbücher* 93 (1866), 751-756). Illud dictum Sallustii «permixtio terrae» (in «Bello Jugurthino» 42, 10) spectat ad Empedoclis opus «De rerum natura» (περὶ φύσεως); sunt etiam plures loci Sallustiani, qui ad Empedoclem referri possint; mos enim Sallustii multis sententiis — quae Graece «gromae» vocantur — utendi ex Empedoclis ubertate sententiarum partim emanasse existimari potest.

Postremo ut summam sententiarum copiam Sallustii melius et commodius conspicerere queamus, omnes, quas equidem primo obtutu inveni sententias, collegi easque hoc loco expono:

1. res humanae ita sese habent: in victoria vel ignavis gloriari licet; *advorsae res* etiam bonos detrectant (*Ju.* 53, 8).
2. idem velle atque idem nolle ea demum firma *amicitia* est (*Ca.* 20, 4).
3. nostra omnis vis in *animo* et corpore sita est (*Ca.* 1, 2).
4. *animi* imperio, corporis servitio magis utimur (*Ca.* 1, 2).
5. alterum (= *animi* imperium) nobis cum dis, alterum (= corporis servitium) cum beluis commune est (*Ca.* 1, 2).
6. *animus* incorruptus, aeternus, rector humani generis agit atque habet cuncta neque ipse habetur (*Ju.* 2, 3).
7. dux atque imperator vitae mortalium *animus* est (*Ju.* 1, 3).
8. ...tam multae variaeque sunt artes *animi*, quibus summa claritudo paratur (*Ju.* 2, 4).
9. ad reprehendenda aliena facta aut dicta ardet omnibus *animus*, vix satis apertum os aut lingua prompta videtur, quae meditata pectore evolvat (*ep.* 1, 8, 9).
10. uti aegrum *animum* solet, somnus cepit (*Ju.* 71, 2).
11. ingeni egregia facinora sicuti *anima* immortalia sunt (*Ju.* 2, 2).
12. *avaritia* belua fera, immanis, intoleranda est (*ep.* II, 8, 4).
13. omne *bellum* sumi facile, ceterum aegerrime desinere (*Ju.* 83, 1).
14. si regum atque imperatorum animi virtus in *pace* ita ut in *bello* valeret, aequabilius atque constantius sese res humanae haberent... (*Ca.* 2, 3).
15. compertum est: in *bello* plurimum ingenium posse (*Ca.* 2, 2).
16. vel *pace* vel *bello* clarum fieri licet (*Ca.* 3, 1).
17. *bene dicere* haud absurdum est (*Ca.* 3, 1).
18. occulta pericula neque facere neque vitare *boni* in promptu est (*ep.* II, 7, 1).

19. quamvis *bonus* atque clemens sit, qui plus potest, tamen quia malo esse licet, formidatur (*ep.* I, 1, 4).
20. (constat) ...neque *bonum* neque malum facinus cujusquam pro nihilo haberi (*ep.* II, 12, 7).
21. in magna *civitate* multa et varia ingenia sunt (*Ca.* 51, 35).
22. quae res plerumque magnas *civitatis* pessum dedit, dum alteri alteros vincere quovis modo et victos acerbius ulcisci volunt (*Ju.* 42, 4).
23. crudeles poenae aut acerba judicia..., quibus *civitas* vastatur magis quam corrigitur... (*ep.* I, 6, 4).
24. *concordia* parvae res crescunt, discordia maxumae dilabuntur (*Ju.* 10, 6).
25. suus cuique animus ex *conscientia* spem praebet (*ep.* II, 12, 8)
26. utrumque (= *consulere* et *mature*) per se indigens alterum alterius auxilio eget (*Ca.* 1, 7).
27. prius quam incipias, *consulto* et, ubi consulueris, *mature* facto opus est (*Ca.* 1, 6).
28. omnis homines... qui de rebus dubiis *consultant*, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet. (*Ca.* 51, 1).
29. suam quisque *culpam* auctores ad negotia transferunt (*Ju.* 1, 4).
30. more ingeni humani *cupido* *difficilia* *faciundi* animum advertit... (*Ju.* 93, 3).
31. *cupido* atque ira, pessimi consultores (*Ju.* 64, 5).
32. ubi *cupido* divitiarum invasit, neque disciplina neque artes bonae neque ingenium ullum satis pollet, quin animus magis aut minus *mature* postremo tamen succumbat (*ep.* II, 7, 4).
33. si (homo) captus pravis *cupidinibus* ad inertiam et voluptates corporis pessum datus est, perniciose lubidine paulisper usus, ubi per socordiam vires, tempus, ingenium diffluxere, naturae infirmitas accusatur (*Ju.* 1, 4).
34. mihi pro vero constat omnium mortalium vitam *divino* numine invisibili (*ep.* II, 12, 7).
35. praeclara facies, magnae *divitiae*, ad hoc vis corporis et alia omnia hujusce modi brevi dilabuntur (*Ju.* 2, 2).
36. ubi *divitiae* clarae habentur, ibi omnia bona vilia sunt: fides, probitas, pudor, pudicitia (*ep.* II, 7, 8).
37. *egestas* facile habetur sine damno (*Ca.* 37, 3).
38. profecto *fortuna* in omni re dominatur (*Ca.* 8, 1).
39. ...humanarum rerum *fortuna* pleraque regit... (*Ju.* 102, 9).
40. plerasque res *fortuna* ex libidine sua agitat (*ep.* II, 1, 2).
41. Appius ait fabrum esse suae quemque *fortunae* (*ep.* I, 1, 2).
42. ea (= *fortuna*) res cunctas ex *lubidine* magis quam ex *vero* celebrat obscuratque (*Ca.* 8, 1).

43. ubi pro labore desidia, pro continentia et aequitate lubido atque superbia invasere, *fortuna* simul cum moribus immutatur (*Ca.* 2, 5).

44. in maxuma *fortuna* minuma licentia est (*Ca.* 51, 13).

45. vivos interdum *fortuna*, saepe invidia fatigat (*ep.* II, 13, 7).

46. corporis et *fortunae* bonorum ut initium sic finis est (*Ju.* 2, 3).

47. ubi (animus) ad gloriam virtutis via grassatur, abunde pollens potensque et clarus est neque *fortuna* eget... (*Ju.* 1, 3).

48. ...(fortuna) probitatem, industriam aliasque artis bonas neque dare neque eripere cuiquam potest (*Ju.* 1, 3).

49. *gloriam*, honorem, imperium bonus et ignavus aequae sibi exoptant; sed ille (= bonus) vera via nititur, huic (= ignavo) quia bonae artes desunt, dolis atque fallaciis contendit (*Ca.* 11, 2).

50. *gloria* industria alitur (*ep.* II, 7, 7).

51. mihi rectius videtur ingeni quam virium opibus *gloriam* quaerere (*Ca.* 1, 3).

52. ubi eam (= *gloriam*) dempseris, ipsa per se virtus amara atque aspera est (*ep.* II, 7, 7).

53. divitiarum et formae *gloria* fluxa atque fragilis est (*Ca.* 1, 4).

54. ubi *gloria* et honore magis in dies virtutem opulentia vincit, animus ad voluptatem a vero deficit (*ep.* II, 7, 6).

55. quod difficillimum inter mortalis est: *gloria* invidiam vicisti (*Ju.* 10, 2).

56. meminisse: post *gloriam* invidiam sequi (*Ju.* 55, 3).

57. ingenium versutum, loquax, callidum: parantur haec disciplina *Graecorum* (*ep.* II, 9, 3).

58. genus *hominum* compositum ex corpore et anima est... (*Ju.* 2, 1).

59. si *hominibus* bonarum rerum tanta cura esset, quanto studio aliena ac nihil profutura multaque etiam periculosa petunt, neque regerentur magis quam regerent casus, et eo magnitudinis procederent, ubi pro mortalibus *gloria* aeterni fierent (*Ju.* 1, 5).

60. Falso queritur de natura sua genus *humanum*, quod imbecilla atque aevi brevis forte potius quam virtute regatur (*Ju.* 1, 1).

61. ...ignari *humanarum* rerum, quae fluxae et mobiles semper in adversa mutantur (*Ju.* 104, 2).

62. *hostem* adversum deprimere strenuo homini haud difficile est (*ep.* II, 7, 1).

63. nemo *ignavia* immortalis factus est (*Ju.* 85, 49).

64. *imperium* semper ad optimum quemque a minus bono transfertur (*Ca.* 2, 6).

65. *imperium* facile its artibus retinetur, quibus initio partum est (*Ca.* 2, 4).

66. ... qui magno *imperio* praediti in excelso aetatem agunt, eorum fata cuncti mortales novere (*Ca.* 51, 12).
67. nemo... alteri *imperium* volens concedit... (*ep.* I, 1, 4).
68. reputando neque majus aliud neque praestabilius (quam naturam generis humani) invenias magisque naturae *industriam* hominum quam vim aut tempus deesse (*Ju.* 1, 2).
69. stultissimi mortales, quod in certamine dubium est, quorsum accidat, id per *inertiam* in se quasi victi recipiunt (*ep.* II, 9, 4).
70. (est) *ingenium*, quo neque melius neque amplius aliud in natura mortalium est... (*Ju.* 2, 4).
71. plerique mortales ad judicandum satis *ingenti* habent aut simulant (*ep.* I, 8, 9).
72. omnis *injuria* gravitate tutior est (*hist.* III, 48, 13).
73. in omni certamine qui opulentior est, etiam si *accipit injuriam*, tamen quia plus potest, *facere* videtur (*Ju.* 10, 7).
74. bono *vinci* satius est quam malo *injuriam vincere* (*Ju.* 42, 3).
75. *inprudencia* pleraque et se praecipitat (*ep.* I, 8, 3).
76. *invidia* ex opulentia orta est (*Ca.* 6, 3).
77. omnes res *laudantur* atque adpetuntur, ut earum rerum usus est (*ep.* II, 8, 3).
78. *libertas* juxta bonis et malis, strenuis atque ignavis optabilis est... (*ep.* II, 11, 4).
79. *libertatem* gloria cariorem habeo (*ep.* II, 12, 5).
80. eam (= *libertatem*) plerique metu deserunt (*ep.* II, 11, 4).
81. ea vera atque simplex via est *magistratum* populo, non creditori gerere et magnitudinem animi in addendo, non demendo rei publicae ostendere (*ep.* I, 5, 8).
82. in primis magno usui est *memoria* rerum gestarum (*Ju.* 4, 1).
83. ...*memoria* rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere neque prius sedari quam virtus eorum famam atque gloriam adaequaverit (*Ju.* 4, 6).
84. (mihi rectius videtur) ... *memoriam* nostri quam maxime longam efficere (*Ca.* 1, 3).
85. in luctu atque miseris *mortem* aerumnarum requiem, non cruciatum esse; eam (= *mortem*) cuncta mortalium mala dissolvere, ultra neque curae neque gaudio locum esse (*Ca.* 51, 20).
86. in *multitudine* et praesidii plus et usus amplior est (*ep.* II, 9, 5).
87. ...omnes rerum *mutationes* caedem, tugam aliaque hostilia portentunt... (*Ju.* 3, 2).
88. quamquam ego *naturam* unam et communem omnium existumo, sed fortissimum quemque generosissimum (*Ju.* 85, 15).

89. res cunctas studiaque omnia nostra corporis alia, alia animi *naturam* sequuntur (*Ju.* 2, 1).
90. in magna copia rerum aliud alii *natura* iter ostendit (*Ca.* 3, 1).
91. *natura* mortalium avida imperi et praeceps ad explendam animi cupidinem (*Ju.* 6, 3).
92. (constat) ex *natura* diversa praemia bonos malosque sequi (*ep.* II, 12, 7).
93. omniaque orta *occidunt* et aucta senescunt (*Ju.* 2, 3).
94. frustra... niti neque aliud se fatigando nisi *odium* quaerere extremae dementiae est (*Ju.* 3, 3).
95. vi quidem regere *patriam* aut parentis, quamquam et possis et delicta corrigas, tamen inportunum est (*Ju.* 3, 2).
96. ... *pecora*... *natura* prona atque ventri aboedientia finxit (*Ca.* 1, 1).
97. omnes homines qui sese student praestare ceteris animalibus, summa ope niti decet, ne vitam silentio transeant veluti *pecora*... (*Ca.* 1, 1).
98. ad *pecuniam* qua cuique libet, nititur, et malis et bonis rebus ea creatur (*ep.* II, 7, 9).
99. *pecunia*, quae maxima omnium perniciēs est... (*ep.* I, 7, 3).
100. primo *pecuniae*, deinde *imperi* cupido crevit, ea quasi materies omnium malorum fuere (*Ca.* 10, 3).
101. si *pecuniae* decus ademeris, magna illa vis avaritiae facile bonis moribus vincetur (*ep.* II, 8, 5).
102. avaritia *pecuniae* studium habet, quam nemo sapiens concupivit (*Ca.* 11, 3).
103. *pessimus* quisque asperrime rectorem patitur (*ep.* I, 1, 7).
104. ubi ea (= *praemia*) dempseris, nemo omnium gratuito malus est (*ep.* II, 8, 3).
105. ubi bonum *publicum* etiam privatim usui est, id vero dubitare adgredi, socordiae atque ignaviae duco (*ep.* II, 6, 2).
106. bonum *publicum*, uti in plerisque negotiis solet, privata gratia devictum (*Ju.* 25, 3).
107. pulchrum est bene facere *rei publicae* (*Ca.* 3, 1).
108. malum facinus in semittere, qui incommodo *rei publicae* gratiam sibi conciliet (*ep.* II, 6, 2).
109. non exercitus neque thesauri praesidia *regni* sunt, verum amici, quos neque armis cogere auro parare queas; officio et fide pariuntur (*Ju.* 10, 4).
110. impune quae lubet facere, id est *regem* esse (*Ju.* 31, 26).
111. semper iis (= *regibus*) aliena virtus formidulosa est (*Ca.* 7, 2).
112. *regibus* boni quam mali suspectiores sunt (*Ca.* 7, 2).
113. ...plerumque *regiae* voluntates ut vehementes sic mobiles saepe ipsae sibi adversae (*Ju.* 113, 1).
114. in occulto sibi *quisque* alterius potentia carior erit (*ep.* II, 11, 3).

115. *secundae res sapientium animos fatigant* (Ca. 11, 8).
 116. *ad virtutem una ardua via est* (ep. II, 7, 9).
 117. *ea (= virtus) sola neque datur dono neque accipitur* (Ju. 85, 38).
 118. *virtuti omnia parent quaecumque homines arant, navigant, aedificant* (Ca. 2, 7).
 119. *virtus omnia domuerat* (Ca. 7, 5).
 120. *virtus clara aeternaque habetur* (Ca. 1, 4).
 121. *ubi anima naturae cessit, demptis obtrektoribus ipsa se virtus magis magisque extollit* (ep. II, 2, 7).
 122. *ambitio... vitium propius virtutem (est)* (Ca. 11, 1).
 123. *omnia virtutis praemia ambitio possidet* (Ca. 52, 22).
 124. *virtus, vigilantia, labor apud Graecos nulla sunt* (ep. II, 9, 3).
 125. *vita ipsa, qua fruimur, brevis est...* (Ca. 1, 3).
 126. *multi mortales, dediti ventri atque sonino, indocti incultique vitam sicuti peregrinantes transiere, quibus profecto contra naturam corpus voluptati, animo oneri fuit* (Ca. 2, 8).
 127. *is demum mihi vivere atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus praeclari facinoris aut artis bonae famam quaerit* (Ca. 2, 9).

AEMILIUS [EMIL] ORTH

ITUR AD ASTRA

Nec mirere graves hominum rerumque ruinas;
saepe domi culpa est: nescimus credere Caelo.

MANIL. *Astron* 1, 902-903

OPUSCULUM PUBLICA LAUDE ORNATUM IN CERTAMINE

CAPITOLINO V • A. MDCCCCLIV

Licet insana loqui, licet transferre hominibus ea quae natura dedit avibus, piscibus reliquisque beluis, aut poëtae epici monstris quae genere ambigua et diversa effingebant.

Ibimus volatu per spatium inane, soluti omni pondere; divino et novo vehiculo feremur ubi sidera inter caeli vertices susque deque conspiciuntur; sulcabitur intermundia, spatiabimur per caelestia litora, peragrabimus immensa et interminata regna, quorum sine fine dominatum tenent rubens ore Mars, turbineo celerrimus Juppiter vortice, placidusque temperato lumine Saturnus, quem juvat suorum anulorum trium ludicros orbes circum spectare.

Quid umquam simile auditum in terris est? quid aut fabulosis aetatibus, cum immortales mortalibus familiariter utebantur, aut recentioribus, cum auctores narrationum romanensium ad incredibilia quaeque confugiebant? Quid sunt aut deorum currus, aut Dedaleae alae, aut immissi ab Aeolo venti, aut pinnatus Cyllenii gradus, aut quos stupet Homerus tres passus Ennosigei¹? quid Jasonia Argo, divum numine compacta, a «magnis deum natis» administrata, excepta denique «flammifero Olympo»²? Quid autem recentiores mirabilium rerum narrationes, ut Aëreostea illa, quam saepe legimus, de equite palatino, spectante mutationes humanarum rerum in reducta valle lunari³, aut Lewisiana, quae nuper edita, de erronibus quibusdam Anglicis, nescio qua sphaera vectis in stellam Martis, ubi tepentibus aquis lavant⁴?

1. *Iliad.* XIII, 20.

2. VAL. FLACC. *Argon.* I, 1-4.

3. *Or. Fur.*, cap. 34.

4. C. S. LEWIS, *Lontano dal pianeta silenzioso*, Mondadori, Milano, 1951

Nugae! sine gloriosior aliquis rei astronomicae peritus parumper «memoret dies nondum natos»: stupebis dilatos proximis mille annis nepotes Pegaseo volatu in stellam Centauri, unde timidus recessit sol inter minora sidera; nec minus hiante ore disces ea quae fient proximis quinque. Audi doctorem illum machinarium, natione Germanum, illum scilicet qui bello Europaeo secundo excogitavit terrifica missilia, quae nullo gubernante per longum interfusum spatium irent dejectum munimenta hostium, juxta praestituta hostiamenta: diligenter accurateque docebit quid spatio hebdomadam sex primum sit agendum manipulis aëreae classis appulsae in litora lunae: ignota, inquit, effodient metalla novis armis excudendis, et aptiora deligent loca iniciendis in terras, prima data opportunitate, globis atomica vi displodentibus⁵. Evolve, sodes, compaginata macrofolia omnigenis figuris non modice ornata, quae plurima prodeunt octavo quoque die: videbis in orbe Martis coloniam, deductam ab Anglis ut par est, et discriptam situ formaque urbem, fabrefacto caelo tectam⁶; nec taedebit recensere juvenes indutos levi scaphandro jam properantes visere reliquos orbis usque ad semotum Plutonem, ubi spiritus cum emittitur congelatur. Quodsi tibi lubido venit terere otium cum novissimis Uraniae alumnis, legendo quas singulis mensibus edunt farragines narrationum de hominibus galaxeis quaestuosas mercaturas exercentibus inter inundos sidereos, atque ea portentosa velocitate ut, quattuor horis, tantum itineris faciant quantum lux integri anni longinquitate⁷, cave ne tibi cerebrum perdat insania.

Quamquam non solus eris; jam enim viginti quinque ferme milia hominum multarum nationum suum nomen dederunt conscribendum in tabulis viatorum caelestium⁸; jam plurima vestigia non parvi nominis praedicant novum genus tegmentorum ad arcenda intersideralia frigora⁹; jam Angli proferunt non unas litteras justo pittacio suae Martianae coloniae obsignatas¹⁰.

SED FICTA ATQUE COMMENTICIA OMITTAMUS, neque moremur venatores vendentes pellem nondum geniti ursi.

Profecto nihil portentosius quam proscissura rostro sidereum mundum loricata machina, mathematicis legibus creata, praedita abditis hucusque elementis rerum, ingentium displosionum repulsu acta, celeritate pollens,

5. WERNER VON BRAUN, *Sei settimane fra i crateri lunari*; cfr. hebdomad *Epoca*, n. 123, 14 febbraio 1953.

6. A. C. CLARKE, *Che cosa troveremo in Marte*, *Epoca*, n. 111, 24 nov. 1952.

7. LEIGH BRACKET, *La legge dei Warda*, Mondadori, Milano, nov. 1953.

8. G. SIMONI, *La Luna sobborgo della Terra*; in ephem. *Il Giornale d'Italia*.

9. Id. ib.

10. Cfr ephem. *Il Tempo*, n. 337, 8 dic. 1953.

quam horrere quidem licet, non umquam concipere mente, nedum fas sit usitatis mensuris metiri. Non citius, cum micuit fulgur, percellit tonitrus aures, quam elabatur oculis mirabile monstrum, statim ac fuit jactum ignea vi sursum. Atque novum hoc machinamentum, quod esset ipsi Tonanti formidandum, inclusa humana corpora jussu agunt quo lubet, oculorum imperio exercent, levium digitorum opera pertractant, tamquam sit musicum instrumentum. Imperatne deus ex machina?

O digna omni laude tempora, cum longe altius agunt iter inventa scientiarum quam poëticae figmenta, cum in physicis atque in omni genere artium prope infinitas videmus in dies progressiones, quas conantem dicere verba viresque deficiunt; tempora quae ipse miraretur insolens Hermes, inventor artium et animarum ductor! Quod si fas cuiquam esset imponere aequato examine in libra, hinc ea quae de diis hemitheisque narrantur, hinc virorum gesta qui nunc sunt, is profecto videret alteram lancem petere paene vacuum summum, alteram in imo graviter considerare quo, sua quodque natura, pondera concidunt. Sed opus esset ingenti tua, Juppiter, trutina, nisi forte te puderet in alterutra lance a te gestas imponere res. Nam saepe, o pater hominumque deumque, te ferebat animus mutatas sumere formas, modo aureae pluviae, modo nivei tauri, modo cycni arguti, scilicet ut artem amatoriam non canendo sed exercendo doceres; at majora nunc audent mortales, aureo plectro concinenda. Etenim alii, pennis non aquilae datis fiunt per avia viatores, et relicto qui tibi «bibere ministret»¹¹ Idaeo puello, una jungunt antipodas civitate; alii, aptata pedibus gummea quadam cauda tamquam Hadriaci rhombi, certant sub aequore nandi celeritate pugnandique vi cum omni Protei grege, et fora piscaria novo venationis ritu locupletant; alii coërcito in utriculo ignota Aeolo arte spirabili aëre, modo ingenti Alpe Asiana enixe reptando evicta, sistunt patria vexilla in summo mundo vertice, cujus in comparatione exiguus collis est aetherius Olympus, modo explorant profunda speluncarum validiore fune suspensi quam tua, Juppiter, catena¹²; modo, inclusi bathyscaphio nova arte creato, perlustrant electrico igne ima maris nigriora pice, quae sic solet almus visere sol, ut olim Neptuneus, frater tuus, viridesque Nereides comas; alii denique, centies et milies aucta sibi telescopio acie oculorum, totiens sibi nebula Andromedae propinquare jubent, et infinitos quos abdunt stellarum mundos omnino revelare.

O Promethei ultor et Gigantum eversor, cave moleste feras quod homulus sit audax omnia perpeti, neu illum minitare fulmine, tonitru atque caesariei concussu quo tremefacis Olympum: is enim jam dudum coërcita tua

11. Cic. *Tuscul.* I, 26.

12. *Iliad.* VIII, vv. 18-23.

iracunda fulmina sic post se trahit ut capestratum vilicus asellum; nunc vero, dissecta et dissociata atomo tuos terreret Aethneos Cyclopes, si quidem essent, et, si modo vellet, natalem tuam Cretam penitus funditusque deleteret.

EX QUO TEMPORE PISANUS HOMO, rectius arte usus quam Iapeti genus, non ignem fraude mala aetheriae domo subductum in cava cannula inclusit, sed vitrea perspicilla duo, alterum concavum alterum convexum, per quae speculando homines ipsa domus secreta aliquando penetrarent, cepit praestantiora ingenia insatiabile quoddam studium abdita rerum conquirendi, pervestigandi, cognoscendi, humano usui subiciendi. Quis dicat quo singulari gaudio, qua cumulata felicitate commotus Galilaeus fuerit, cum perspicuens per mirabile oculare ab se excogitatum vidit «Cynthiae figuras aemulari matrem amorum»¹³, ignotos satellites circumire immenso orbe Jovem, Terramque fieri exiguiorem cum mundus per infinita spatia dilataretur? Profecto non tam magna laetitia exsultavit excubitor in celsa prora Genuensis, cum amens «terram! terram!» primus clamavit.

O virum egregium, omnium doctissimum qui ejus aetate floruerunt, rerum naturae acerrimum indagatorem atque pervestigatorem eundemque observantissimum Christianae religionis cultorem, virum cujus praecipuum fuit Deum agnoscere loquentem, non modo Sacris Litteris, sed etiam sempiternis mathematicis legibus et geometricis aetherii mundi figuris¹⁴! Ac discernere potuit hic homo montes lunares, et «altissimum planetam tergeminum observare»¹⁵, filiam sibi assidentem, heu, dignoscere non potuit! Dixerit quispiam magnum quoddam significari per ea quae narrantur de augure Tiresia deque Homero poeta, qui nihil amplius percipere oculis aut potuerint aut voluerint, postquam alter vidisset pulcritudinem Palladis sub palmis Cyreneis¹⁶, alter apud «fontem vocalem» cithara cum dea certavisset¹⁷.

Jam jam numero innumeri homines, in studiis scientiae cognitionisque versati, alato pede alata voluntate, ut cum Torquato dicam¹⁸, properant ire via a Galilaeo facta, longinquoeres metas spectantes: non majore animi aestu, postquam Columbus everterat Columnas Herculis, tota Europa studuit in Novo Mundo quem vocabant tentoria et tabernacula collocare. «Quot artes,

13. His verbis Galilaeus explanavit anagramma ab se ante compositum: «haec immatura a me jam frustra leguntur». Cfr. FLAMMARION, *Astronomia popolare*, lib. IV, cap. 3.º, *Il pianeta Venere*.

14. GALILEI, *Il Saggiatore*, cap. IV.

15. Lettera a Giuliano dei Medici a Praga, d. Firenze, 13 Nov. 1610.

16. FOSCOLO, *Le Grazie*, Inno III, vv. 340-363.

17. PASCOLI, *Il Cieco di Chio*.

18. TASSO, *Gerusalemme Lib.*, c. III, str. 3: *Alt ha ciascuno al core ed alt al piede*.

quot scientiae, quot inventa»¹⁹ alia aliis succedunt! quot novae machinae, quot nova artium instrumenta fabricantur in dies, quae dixeris facta ope magices! Num sunt aliquid antiqua illa septem miracula orbis terrarum? An quidquam fuit magis mirandum quam creatum nuper ab Americanis machinamentum «amplitudine et pondere colossicoterum»²⁰, et sublimes feriens sidera vertice? Hic enim arte factus Cyclops, in summo culmine celsissimi montis positus, cum ingentem orbem oculi admovit ad ostium versatilis tholi quo continetur, sinit videre, non jam tria stellarum milia quot patres nostri viderunt, sed tricenas milies centena milia, dum socio labore cognata machina totidem refert imagines photographice impressas. Atque alia machina est, parva quidem, sed quae non minus miranda operetur; admove oculis, videbis centena milia corpusculorum in guttula aquae natantium.

SANE QUIDEM «COMPONERE MAGNIS PARVA ALIQUANDO FAS EST»²¹.

Labor omnia vincit, at ingenii virtus omnia sibi parere jubet. Inter sese magna vi brachia tollunt insudantes incudini Cyclopes²²; at procera gruis mechanica longo rostro tollitque ponitque ingentem massam ferri, quam non sustineret Titania turba. Festi ignes, alius post alium a monte Ida ad Arachnaeum deinceps accensi, via longa Juppiter et laboriosa ferunt nuntium capti Ilii servo Clytemnestrae jam annum excubanti ulnis innixo instar canis²³, in summo tecto regiae domus; quodsi, deleta a Persis Eretria, Atheniensibus in magno discrimine versantibus instat necessitas petendi auxilium a Lacedaemoniis, omnis res stat in pernicitate pedum Philippidis cursoris²⁴; ceterum, quidquid negotii est permittitur servis, tabellariis, amico forte proficiscenti, atque, proximis his saeculis, pigrae raedae curtis tractae caballis, cui lepide profecto inditum nomen erat «diligentia»: at nunc stat, mirabile inventum, machinamentum teloramicum: loquere, concine, ride, asside nepotali mensae, dic fac quidquid vis: eodem temporis puncto ubique terrarum eris, loqueris, concines, cenabis bene et omnibus cachinnis, denique rectius quam Socrates «mundanus», inquires, «sum». Quid de diro illo Hannibale? quindecim ferme dies intolerandos toleravit labores dum Alpes transiret, nec viam elephantibus et equis prius aperuit quam facta torrida succensis arboribus prominentia saxa putrefecit aceto²⁵; at nunc machinatio perforatoria sic terebrat Alpes ut pistor massam subactae farinae; necdum dimidia ruit hora, cum celerrimi currus longo ordine conjuncti,

19. Cic. *De Sen.* XXI, 78.

20. VITRUV. 10, 2, 5; apud FORCELLINI *Lex. tot. Latinit.* sub voc. *colosstcus*.

21. Ov. *Metam.* V, 417.

22. *Georg.* IV, 174; *Aen.* VIII, 452.

23. AESCH. *Agam.* vv. 283-311 et 2-4.

24. HEROD. VI, 105-106.

25. Liv. XXI, 20.

in novam viam immissi per viscera montis ductam, hinc Italiam hinc Galliam laeto sibilo salutant. Et vicit labor non tangenda vada, cum Aminocles Corinthius navem primus compegit²⁶; nec multo post facile tenuerunt cursum per longa freta trirèmes, quinqueremes, celoces, actuariae, onerariae, omne denique navium genus. Juvat, juvat verberare tonsis et obumbrare velis caerulea regna Neptuni; sed, o miseros remigum greges, quos duro labore defessos durus pausarius «mediae stans margine puppis»²⁷ voce et scutica jubet incumbere remis, ad alternos citati mallei ictus! At nunc, ingentes ingenti mole naves ferreis lammis loricae non velis non remis propelluntur, sed virtute quadam abditi intus humani instar cordis machinamenti, sive eminent e summo aequore tamquam sint natantia oppida, sive per ima discurrunt similes corpore beluis marinis, sive factae volucres certant celeritate libratis alis cum ventis.

Hodie tuus, Catulle, phaselus certaret quidem palmulis Venetiis cum cymbulis cubiculatis, quarum supereminet e prora ferrum dentatum, perinde quasi pugnax erecto collo gallus; atque multa panderet carbasa ventis, si velocitate contenderet cum lembis voluptariis: sed, nisi incitatus rotantibus helicis, sane Amastride Pontica in Italiam non navigaret. Etenim arma navalia antiquitus tradita nunc parvo quaestui serviunt, ut cum piscator litorarius ducit tacito remulo per scopulorum anfractus suum pluries resartum lintriculum, aut navis aliqua calcariaria²⁸ venit per tranquilla inertibus velis ad litus.

PROFECTO IMMUTATA FACIES ORBIS EST, minus centum annorum spatio post inventam praeter spem vim electricam, unde infinitae prorsus viae scientiis apertae et, si verbis audacia detur, exorta hominibus felicitas temporum. Non umquam tam acri studio ars cum natura contendit, nec mens humana tam longe umquam processit. Jam nulla sunt loca domibus negata, sive sempiterno glacie sub utroque polo obruta, sive abscondita perpetuis nemoribus inter tropicos, et taeterrimis pythonibus infestata, ubi non impresserint homines vestigia; nec ulla praeterit dies, quin praenuntietur quid sit futurum cras, quae caeli tempestates, quae marium fluctuationes, quae vis viaque ventorum. Nihil occultum in rebus inest, quod non exagitetur et abstrahatur foras tamquam fera e latibulis; nulla aut marina belua, cujus natura moresque non sint investigantibus physicis penitus perspecta; nulla herbae aut herbarum mucres, ubi non sit experimento reperta medicamen-

26. THUC. I, 13.

27. SIL. ITAT. VI, 365.

28. Cfr. apud FORCELLINI: *Negotians calcariarius, Exonerator c.*; his perspectis exemplis consentaneum videtur vocare *calcariaria* navigia quaedam Amalphitana, quae ante automata-rios currus inventos adhiberi solebant ad subvectandam calcem, et vulgo appellabantur *Marielle*.

torum materia; non in compage corporis fibrilla, cujus non cognoscatur officium; non vertebrarum aut articulorum ossicula, quae pingue et macrum corporis, factum electrica vi pellucidum, non sinat videre tamquam per vitrum, eorumque imagines ope lucis in tabulis proferre. Quot praeterea publicas utilitates, commoda, beneficia humanum ingenium civitatibus intulit, quot arma debellandis morbis vulgo ingruentibus, quot arcendis inundationibus incendiis aliisque calamitatibus praesidia; quot obtulit operariis et officinatoribus periculorum liberationes, laborum levationes, vitae oblectationes!

Parcite, vilici, ligonibus; malleis et serris parcite, fabri; loris et flagellis, aurigae; longis, nautae, remis; et vos, mulierculae discalceatae, mittite operosum laborem lavandi lintea, mantilia, instragula, ad longinqui rivi fluentia; tuque, tacita ancilla, desine expurgare putri fungo ellychnium serae lucernae. Jam nova vis in machinis inducta omnes ipsa per se exanclat hominum labores: immanes massas ferri inter officinarum stridores versat, pertundit, dissecat in latas laminas; pulsu jubet currus navesque volare; imperat ruri torcularibus, tribulis, trapetis, et domi quasi per ludum facit ea quae famularum sunt; lavat levigatque vestes, cibaria concoquit, patinas purgat, pulverem ex omni angulo haurit, denique totam domum pendulis lychnuchis ad multam noctem collustrat laetitiaque perfundit. Ad summam, hoc opus, hic labor hominibus: primum digitum levi ictu orbiculis metallicis imprimere, aut tantisper movere manubria manu; ceterum exerceant ad proxima ludorum certamina validos lacertos fortesque poplites, ipsos spectacula in spectaculis, non modo civitati sed omnibus fere nationibus, sive competitus folliculus, dum densati in stadiis omnes cohibent spiritum, volat anceps utra in porta consistat, sive bicyclularum agmen, voratis longis viis, ingreditur urbes, tota ovante civitate.

Sed «Vesper adest, juvenes, consurgite»; reperta electrica vis, gloria nostrae aetatis, «tandem lumina tollit»²⁹, aemulantia sidera copia, diem claritate, et pleno fundit cornu, non poma floresque soporiferumque papaver³⁰, sed ludos, cachinnos et quaecumque vultis otiiis oblectamenta. Saeculo illo aureo sexto decimo, cum scilicet, si quando viis tenebricosis vir viro occurrebat, bene saepe alter fur erat alter clandestinus amator, solebant homines venustiores se delectare domi narrandis fabellis in corona, nec iis veniebat in mentem fuisse olim mutatas in vespertilioes Mineydes sorores, quae primae docuerunt «narrare per vices aliquid, quod tempora longa videri non sine-ret»³¹; sed nunc in quavis non parva urbe est locus deliciarum tam novis atque inopinatis refertus machinamentis et instrumentis oblectatoriis, ut no-

29. CATULLI carm. LXII.

30. STATII *Theb.* II, 143: illos post verbera fessos... cornu perfuderat omni Somnus.

31. OVID. *Met.* IV, 40 sqq.

mīne gloriētur ducto a luna. Ibi aëreae naviculae, volantes circum polum magneticum fervidae rotae propulsoriae; ibi clathratae caveae, quas juvenes inclusi sic agunt sursum deorsum; ut circulos meridianos conficiant; ibi curriculum electricis scintillis coruscantium ludicri conflictus, tamquam arietum inter se crebris cornuum ictibus lascivientium; ibi certamina compingendi folles lusorios in medium canistellum e summa curvatura citatissimae rotae; ibi sussultorii *montes Russici* multa cum insidentium laetitia profusaque hilaritate; ibi alia aliaque quorum nomina virtutesque soli recensere valent machinarum conductores.

II.

At tamen, cum tot machinationum ope sint eo leviores operum et artium labores quo uberiores redditus atque fructus, cum tot repertis medicamentis victi sint morbi maxime formidandi, et jam exagitetur vel ille late serpens, malum immedicabile, cancer³²; cum praeterea tot sint vulgata voluptifica invitamenta ludorum quos nemo antea viderit, denique «turpior malarum rerum industria invasit animos»³³. Suntne in Europa magisteria barbariae? Vidimus enim pervulgari novam methodum summovendi mores et evertendi, novos ritus exercendi odia, novam artem excrucianti quos mittere libuit inferias umbris; vidimus strategematice perpetrata facinora, flagitia, rapinas, caedes, abductiones civium placide quiescentium domi cum suis, latronum incursiones in mensas publicas, germanas venationes ditiorum tamquam ferarum quas exagitavit odora canum vis, perditorum juvenum vultuosas frontes atque impudentiam jactandi admissa, bacchantes cupiditates, protervas impietates, contemptiones humanarum legum, irrisiones supra quam dici potest divinarum. Culpantur frustra calamitates immanis belli proxime gesti, quandoquidem probe novimus maxima bona saepe e maximis malis venire, modo non sit jam dudum vitiata et relicta vepribus quae semina concepit humus; hoc pacto post clades a diro Hannibale illatas et Italiam vastatam, floruerunt, ut cum maxime, publicae et domesticae Populi Romani virtutes. Quod «si foret hoc nostrum dilatus in aevum»³⁴ antiquus ille *Controversiarum* scriptor, multam profecto haberet materiam «sententiarum et colorum» ad meliorem partem defendendam; atque noster forti animo Phocolos corruptores corruptosque indignabundus insectaretur, nationemque commoneret, qua fuit gravitate dicendi, divinum quoddam esse

*Servar nelle miserie altero nome*³⁵.

Salerni, in Italia

ALOISIUS GUERCIO

(*Insequenti fasciculo finietur*)

32. Id ib. II, 825-826.

33. A. SENEC. *Controversiarum* lib. I, prooemium.

34. HOR. *Sat.* I, X, 68.

35. *Dei Sepolcrt*, v. 171.

NOVA ET VETERA

ALVEARE

1. Quo rerum facilius flores decerpamus, non nulla hic de re *apiana*, in tironum Latinitatis commodum, delibemus. Quidni? An magnis non *mellissa* laudibus, quae tanquam melligena apud vates prima dignoscitur, cumulanda? Itaque de mellilegis me volucris aliqua recolere juvat, quarum de natura, moribus, ingenerata sollertia haud dubitavit poetarum longe princeps Romanorum, Vergilius, postremum Georgicorum carmen mirabili quadam eloquentia atque numine amico contexere.


Recentiores inter utiles artes et *apicultura* adscribenda, quae est de apibus favendis ac multiplicandis, earumque, mel et ceram, reditus proficiendi ratione et via notitiam docet.

Jam vero; in notioribus orbis terrarum insectis, quorum quidem 250.000 diversae species a claro professore Helvetio Inhokke numerantur, et *apis*, quae ab hodiernis physicis «*Apis mellifica*» appellatur. Insecta autem, quae voce etiam technica *hexapoda*, nuncupantur, artropodorum classi aptantur. Quibus respiratio est trachealis, cum unico antemnarum pare et tribus pediculorum paribus; eorumque corpus commode in caput, thoracem, abdomen distinguitur.

Apis est insectum *hymenopterum*. Hac nempe ratione illa nominantur, quae mandibulis instruuntur; metamorphoseos vero implicatae, cum duobus alarum paribus membranacearum, earumque levidensium nervorum, conjuncta tamen quasi unum essent natura. Ea scientiae zoologicae pars, quae insectis studendis incumbit, *entomologia* dicitur.

2. «*Apis mellifica*» vitam quasi in societate degit, atque divam ceram et dulce mel, maximae certe apud homines aestimationis, producit. Collectio autem apum *examen*; locus in quo examen vitam agit *alveare*; situs vero ubi plura sunt alvearia *apiarium* nuncupatur. Ars earumdem apum colendarum est, uti supra, *apicultura*: *aviculturae*, *arboriculturae* aliisque hujus modi parilis.

Qui vernacularum apum curationem habet, is *apiarius* vel *mellarius* nuncupatur. Cui munus nova examina, ex apiario ne aufugiant, congregandi; atque identidem alvos apum castrare, ut mel denique et cera in commercium veniant, satagit. Summa cellularum, in quibus mel ceramque apes recondunt, est *favus*. Itaque *favus* reapse *acervus* vel *strues* cellularum prismaticarum,



hexagonalium, cerearum; quas apes ipsae intra alveare exstruunt, in quibus mel, tanquam in horreo penue, servant. In annonae caritatis tempore, ibi dulce nectar, quo impigrae ad labores officii alantur volucres.

En tibi, latine et hispanice, quae res in tabula picta oculis contrectare potes:

1	<i>Colmena</i>	Alveare, is
2	<i>Piquera</i>	Alvearis foramen (imum)
3	<i>Panal</i>	Favus
4	<i>Celdilla</i>	Cella
5	<i>Colmenar</i>	Apiarium
6	<i>Castradera</i>	Castratorium (ferramentum)

3. Ex apibus, in variis terrarum plagis, aliae sunt rusticae et silvestres, adpectu horridae, iracundiores, operis tamen studiosae; aliae vero urbanae. Eaeque vel breves et in rotunditate compactiles, vel oblongae, et vespas referentes.

Tanquam monarchiam quamdam repraesentant. Habent enim *reginam*, cui deditae omnino sunt atque obtemperant. Huic forma eximia; et corpus duplo, quam reliquis apibus, majus. Pennae paulo breviores, crura recta, ingressus celsior, in fronte macula diademate quodam candicans. Majestate armata, minime aculeo; foras prodeuntem universa plebs comitatur, circumdat, protegit; fessam sublevat, et succollat; ubi ea consederit, castra locantur.

Populus dum laboribus variis occupatur, ipsa intra alveare opera lustrat; assiduamque habet praesidium, quo suam apud cives auctoritatem conservat atque amplificat. Comprehensa autem regina, totum omnino examen occupatur; ea dilabitur amissa, et alio commigrat.

Diligunt apes mirum in modum alvearis munditiam; et nulli inquinato loco aut male olenti assident. Quotannis examen emittunt, cumque nova regina junior plebs sibi aliud alveare quaerit. At fugientem apianam juventutem, crepitaculis aeneis melitturgus revocare solet ad alvos praeparatas. Ibi-que favorum crates exstruunt cellulis sexangulis vel hexagonis, quas complent et stipant melligine: mellificantes scilicet favos conficiunt. E quibus, tempore mellationis seu mellis vindemiae, mel effluit sincerum; crates vero in ceram liquantur. Tum apiaris seu mellarius, ex mellificio vel confectura mellis, de industria sibi quaestum faciet.

Vitam apibus septennio longiorem non concedere solet apicultura hodierna. Mellarius patietur nunquam plures in uno eodemque alveari reginas, quod causa seditionum inter apes certo certius esset. Maxime gratum apibus pabulum: amaranthus, casia, cerinthe, cunila, cyperum, cytisus, melilotos, melissophyllon, octimum, lilium, rosa, serpyllum, thymus, viola. Item eisdem probantur frutices amelli, caules acanthi, scapi asphodeli, gladioli, narcissi: paucis omnis generis flores. Haec quidem Plinio aliisque antiquitatis physicis.

4. Denique ad facilius reddendum studium totius fere innumerum insectorum agminis, ea naturae scientia in classes non nullas collegit, quae potissimum relationem cum eorum ipsorum alis perhibent. Haec vero sunt nomina, a lingua Graeca promanantia, in Latinam autem aptata: Aphanipterum; apterygogenum, archipterum, orthopterum. Ut tandem finem imponam, praecipua insectorum nomina tibi, lector optime, offero:

Avispa, Vespa
Cantárida, Cantharis, idis,
Cetonia, Cetonia
Cicindela, Cicendula
Cigarra, Cicada
Ciervo volante, Lucanus
Cínife, Cínifes, um
Cucaracha, Blatta
Chinche, Cimex, icis
Efémera, Ephemera
Escarabajo, Scarabaeus
Gorgojo, Curculio, onis
Grillo, Gryllus
Gusano de seda, Bombyx, icis
Hidrófilo, Hydrophilus
Hormiga, Formica
Hormiga león, Myrmecaleon, onis
Ignemón, Ichneumon, onis

Langosta, Locusta
Lepisma, Lepisma
Libélula, Libellula
Luciérnaga, Noctiluca
Mariposa, Papilio, onis
Mosca, Musca
Moscarda, Musca carnaria
Mosquito, Culex, icis
Ninfa, Nympha
Oruga, Eruca
Piojo, Pediculus
Polilla, Tinea
Pulga, Pulex, icis
Pulgón, Bruchus
Tábano, Oestrus
Tejedor, Hydrometra
Tijereta, Forficula
Zángano, Fucus

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

Interpretatio Latina "Magistri Perezii"

Gustavus Adolfus Bécquer (a. 1836-1870) nobilis sua memoria existit poëta, ac suavis excolta oratione scriptor. Eximio ingenio praeditus opera sua singulari arte tractat et evolvit. Venustissimae illae narrationes —quas ipse «Leyendas» appellavit, nosque «commenticias patrum memorias» dicere possumus— exquisito dicendi genere splendent, ac simplici et ingenua enarratione reconditos hominum sensus patefaciunt¹.

Cum autem Becquerii elegantia et suavitas orationis omnibus notae sint —quam ad numerum quendam et musicum modum quidam accedere volunt—², ex illis narrationibus unam Latino sermone interpretandam suscepi, ut qui linguam Hispanicam minus intellegunt, ex conversione Latina fortasse comprehendant: et omnes, Hispani exterique cives, artificiosi pulchrique operis specimen habeant, ex quo utilitatem in legendo percipiant, et eruditionem mentisque institutionem, sive ex propria Becquerii narratione, sive ex translatione Latina, assequantur.

Optimum sane exercitium —ut linguam Latinam mente comprehendamus— non solum ex lingua Latina in nostrum sermonem transferre sed multo utilius quidpiam latine reddere: quo non tantum cogitatione linguam Latinam assequemur, sed et latine loquemur. Quod quidem optimus quisque scriptor fecit: in quibus et Tullius, qui de Graecis orationes convertit³.

Difficultates vero, quae in scriptoribus latine reddendis insint, nemo est qui ignoret. Qui enim scriptorem in Latinum convertit hujus cogitata et sensus sedulo ac diligenter investigare et percallere debet ut ea deinde apte interpretetur. Quae enim auctor intellexit, percepit, exposuit et in legentium animos excitare et quasi infigere voluit, eadem interpres in se ipse percipiat oportet et in legentium mentibus excitet. Nam interpres sententias scriptoris proprias apud se depositas habet, quas integras et immutatas tradere debet ut, qui scriptorem nativo sermone loquentem non percipiunt, Latino comprehendant.

Quod si, qui aliorum scripta convertit, fidus debet esse interpres, puritatem et elegantiam Latinam in dicendo pariter consecetur oportet. Quas

1. Ejus tamen opera universa pueri caute legant; nimio enim maerore anxioque dubio interdum puerorum mentes oppriment

2. HURTADO J. DE LA SERNA, *Historia de la literatura española* (ed. 4), Madrid, 1940, p. 890. A. RISCO, S. J., *Historia de la literatura española y universal* (ed. 15), Madrid, p. 133.

3. Cic., *De optimo genere oratorum*, 5, 14.

tamen virtutes —et in interpretando scriptore fidelitatem et in dicendo elegantiam— difficillimum est conjungere: saepe enim inter se quodam modo pugnare videntur.

Neque alia de conversione Latina contexere et explanare opus est, nam quae ad optimam absolutamque interpretandi rationem spectant —sive cum de Latinis convertimus sive cum aliena latine reddimus—, sapienter et cumulate a Rdo. P. Josepho Jiménez C. M. F., nuper sunt exposita et disputata⁴.

Quantum tamen translationis exercitium ad puerorum et adolescentium animos erudiendos et conformandos conferat, omnibus patet. Hoc enim exercitium via est qua mentem exercent, prudentiam excolant, instrumenta parent cauteque adhibeant.

Conversionis exercitium inter illiberalia et quasi automataria opera nullo modo recenseri et abjici patiamur, sed in praecipuis mentis prudentiae, sagacitatis exercitiis semper computemus. Cogitata, proposita mentemque scriptoris investigamus et persequimur; veritatis inveniendae quaestionem —seu problema— enodandam et expediendam suscipimus. Ad hanc veritatem, in propriis scriptoris verbis et sententiis reconditam, omni ope totaque mente consecrandam enitamur.

Tandem, ut absolvam, peritorum, qui de interpretandis scriptoribus praecepta dederunt, mandata persequi sum conatus⁵. Locutiones tamen ipsumque nativum orationis motum, quod ejus fieri potuit, retinenda mecum ipse cogitavi, quod fortasse in hujusmodi translationibus —quae adeo aetatem nostram spirare videntur— minus quibusdam probabitur; quae autem minus recte in Latinum converti poterant, alia ratione exposui.

Et in fide Becquerio nostro servanda et in pura Latinitate religiose excolenda interdum —ut plerumque fit in hujusmodi exercitiis— nos defecisse profiteamur; nihilominus adulescentes et magistri aliquem fructum ex labore nostro percepturos vehementer speramus.

Ut autem interpretatio Latina omnibus fructuosior «sit textum» Hispanicum ad calcem apponere constituimus, et quae in illo interpretando praecipuam habent difficultatem vel ab eo maxime discrepant, cursivis litteris notamus.

4. J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F., *La traducción latina*, páginas de la Revista de Educación, Madrid, 1955.

5. Cfr. GANDINO, *Lo stile latino*, Paravia, Torino, 1933. — CUPAIUOLO, *La versione latina*, Napoli, 1947. — GUILLEMIN, *Le thème latin*, Hatier, Paris, 1931. — SPRINGHETTI, *Institutiones stili Latini*, Romae, 1954. — BACCI, *Lexicon*, Romae, 1949. — Cfr. Etiam MAROUZEAU, *La traduction du latin*, Paris, 1953; GUILLEMIN, *Sur quelques difficultés de la traduction*, R E L, 2 (1924) 183 188.

Magister⁶ Perezius⁷ organi Moderator

Hispali, in ipso Beatae Agnetis atrio, dum sacrum ad gallicinium exspecto ut peragatur, hanc a majoribus traditam famam a Coenobii⁸ administra audivi.

Quam cum percepisset famam —ut consentaneum erat— initium sacrae caerimoniae cupidus praestolabar, rem enim miram contemplari gestiebam.

Nihil tamen illo Beatae Agnetis organo minus admiratione dignum, nihil illis *frigidis cantunculis* communius et adjectius, quibus illa nocte organi moderator nos recreare studuit.

Cum autem a sacro exirem, me continere non potui quin sanctimonialium administrae *quasi per jocum* dicerem: Quid est quod organum magistri Perezii *tam inertes reddat sonos?*

--Quid mirum! —respondit vetula— quia hoc plane non est suum.

—Suum non est? Quid ergo de illo suo factum est?

Maese Pérez, el organista

En Sevilla, en el mismo atrio de Santa Inés, y mientras esperaba que comenzase la Misa del Gallo, oí esta tradición a una demandadera del Convento.

Como era natural, después de oírla, aguardé impaciente que comenzara la ceremonia, ansioso de asistir a un prodigio.

Nada menos prodigioso, sin embargo, que el órgano de Santa Inés, ni nada más vulgar

que *los insulsos motetes* que nos regaló su organista aquella noche.

Al salir de la Misa, no pude por menos de decirle a la demandadera *con aire de burla*:

—¿En qué consiste que el órgano de Maese Pérez *suenen ahora tan mal?*

—¡Toma! —me contestó la vieja—, en que ése no es el suyo.

¿No es el suyo? Pues, ¿qué ha sido de él?

6. *Magister*. Aptior vox -- qua vocabulum *maese* = *maestro* interpretemur—, non suppetit: qua et cum, qui docet artes, significamus, et qui praest, et qui de rebus curat sibi concredit, et ipsum moderatorem *chori canentium*, *magistrum* appellamus (cfr. «Nam ubi chorus canentium non ad certos modos neque numeris praecuntis *magistri* consensit». COLUM R. R. 12, 2, 4).

7. *Perezius*. Cfr. quae de cognominibus diximus (*Helmántica* (1954) n. 18, p. 388). Quam sententiam secuti PEREZIUM nominamus hujus narrationis commenticiae heroem sicut multi alii quasi Latino cognomine sunt vocati; Cfr. ANDREAS SCHOTTUS, *Hispaniae Bibliotheca, seu Elogia et Nomenclator clarorum Hispaniae scriptorum*, Francofurti, MDCVIII; ubi leges: Florianus OCCAMPIUS, Rodericus XIMENIUS, Barthol. BARRIENTUS, Petrus MEXIUS, Bernardus SANDOVALIUS, Leo CASTRIUS, cet. — THOMAS-POPE BLOUNT, *Censura celebriorum auctorum*, Genevae, MDC; apud quem scriptum legimus: Benedictus PERIERIUS, Petrus NUNNESIUS. — CERDANI, Francisci, *Commentarius de praecipuis Rhetoribus Hispanis*, Matriti, MDCLXXXI; apud quem sunt: Joannes MUGNOZIUS, Alfonsus AZEVEDUS, Gregorius MAJANSIUS, Bernardus GOMEZIUS, cet.

8. «Coenobii —sacrarum viginum — sanctimonialium administra» = *demandadera*. J. F. NOLTEIUS (*Lexicon linguae Latinae antibarbarum*), vocem *monialis* barbaram habet (Cfr. KREBS-SCHAMLAZ *Antibarbarus*, s. v. *monacha*, et BACCI *Lexicon*, s. v. *monaca*).

—Minutatim aliquot abhinc annos summa *vetustate* corrui.

—Sed, quid de organi moderatoris anima⁹?

—Ex quo appositum est hoc, quod veteri sufficit organo, amplius illa non apparuit.

Quod si quidam ex lectoribus eadem a me exquisierint, cur nempe ad nostram aetatem illud portentum prodigiumque non permanserit, haec cum perlegerint, compertum sane habebunt.

I

—Videsne illum virum, purpurea paenula indutum albamque gestantem in petaso pinnulam, qui in *thoracio*¹⁰ totum galearum¹¹ Indicarum aurum quasi comportare videtur? Illum dico qui de lectica nunc descendit et manum feminae porrigit, quae et ipsa, relicta lectica, huc accedit, quattuor *pedisequis* cum facibus praeuntibus? Ipsum quidem vides *marchionem a Moscoso*, amatorem comitis viduae a Villa Pinea. Et ille quidem dicitur filiam proceris cujusdam rogasse sibi uxorem, priusquam in hanc nobilem matronam conjecisset oculos; sed pater adulescentulae, de quo ille murmurat aliquantum

—Se cayó a pedazos *de puro viejo*, hace una porción de años.

—Y ¿el alma del organista?

—No ha vuelto a parecer desde que colocaron el que ahora le sustituye.

Si a alguno de mis lectores se le ocurriese hacerme la misma pregunta, después de leer esta historia, ya sabrá el porqué no se ha continuado el milagroso portento hasta nuestros días.

I

—¿Veis ese de la capa roja y la pluma

blanca en el fieltro, que parece que trae sobre su *justillo* todo el oro de los galeones de Indias, aquél que baja en este momento de su litera para dar la mano a esa otra señora que, después de dejar la suya, se adelanta hacia aquí, precedida de cuatro *pajes* con hachas? Pues ese es el *Marqués de Moscoso*, galán de la Condesa, Viuda de Villapineda. Se dice que antes de poner sus ojos sobre esta dama, había pedido en matrimonio a la hija de un opulento señor; mas el padre de la doncella, de quien murmura que es un poco avaro... Pero ¡calle! *en hablando del ruin de Roma, cátae aquí que*

9 Anima. Christiano homini vetera Romanorum commenta de manibus, larvis, geniisque non licet adhibere aut minus probanda videntur; neque tamen his uti verbis necesse est, cum et ipsi de animis (seu animabus) loquantur: «Unde *animae* excitantur obscura umbra opertae imagines Mortuorum»... (Cfr. Cic. *Tusc.*, 1, 16, 37). «Indeflectaeque vagantur Natorumque virumque *animae*» (OVID, *Met* 7, 612).

10. *Thoracium*. «Parva fascia pectoralis seu sagulum, *stomachino, corpetto, farsetto, guibettino*» (FOCELLINI, s. v.).

11. Vocem *galeram* cadentis Latinitatis (cfr. DU CANGE) novare opus non est, cum et *galeam* habeamus amplissime usurpatam, ut ibidem in dictionario DU CANGE perhibetur, quae jam imperatorum aetate hac significatione adhibetur: «Fuit etiam nomen trieris in classe Ravennate, quod inditum ei fuisse apparet, quia ejusdem insigne *galea* erat... Huic repetendam putat (idem Maffei) vocem *galea* qua Itali appellant navis cujusdam genus». (Cfr. FORCELLINI, s. v. *galea*).

avaritiae obnoxium... At, tacedum!, *en lupus in fabula!*... Videsne illum virum, qui sub arcum Beati Philippi pedibus ad nos venit obscura paenula obvolutus, unoque famulo cum laterna comitatus? Adversus *sacram tabulam toreumatís decoratam* nunc commodum pervenit.

Nonne animum advertisti, cum paenulam ab ore removit ut simulacrum salutaret, in *insigne equitis ordinis militaris*, quod in ejus pectore refulget? Eum facile crederes — nisi ex illo nobili insigni—, aliquem *ex mercium tabernariis* e via «Colubrum». Hic ergo est pater, *de quo tecum sermo*; illi —quod vides—, plebis frequentia *de via cedunt* eumque salutant. Cives Hispalenses ex maximis opibus praedivem habent. Unus ille plures habet aureos ducatus¹² in arcis, quam milites Philippus, rex noster; suisque onerariis galeis classem instruere potest, qua *Turcarum imperatoris* classi satis superque obsistat.

Age, inspicere illum optimatum circulum; hi sunt *viginti quattuorviri equites*... Papae! *insolens et arrogans* ille quoque adest homo cui proceres «Viridis Crucis» *manum* nondum *injecisse* ferunt gratia qua apud *primores* Matríti plurimum potest... Is autem ad *sacram aedem* hac tantum accedit ratione ut aures musica permulceat... Ita sane; ac nisi magister Perezius *organo suo in effusissimas illum moverit lacrimas*¹³ profecto *apud se non esse, sed in ipsis nequissimi diaboli ahenis animam constrictam ustamque jam nunc habere tibi* prorsus affirmo.

asoma. ¿Veis aquél que viene por debajo del arco de San Felipe, a pie, embozado en una capa obscura, y precedido de un solo criado con una linterna? Ahora llega frente al retablo.

¿Reparasteis, al desembozarse para saludar a la imagen, en la *encomienda* que brilla en su pecho?

A no ser por ese noble distintivo, cualquetera le creería un *lonjista* de la calle de Cu-lebras... Pues ese es el padre *en cuestión*; mirad cómo la gente del pueblo *le abre paso* y le saluda.

Toda Sevilla le conoce por su colosal fortuna. El solo tiene más ducados de oro en sus arcas que soldados mantiene nuestro Señor el rey Don Felipe y con sus galeones podría formar una escuadra suficiente a resistir a la

del *Gran Turco*.

Mirad, mirad ese grupo de señores graves: esos son *los caballeros veinticuatro*. ¡Hola, hola! También está aquí el *flamencote*, a quien se dice que no han *echado ya el guante* los señores de la cruz verde, merced a su influjo con *los magnates* de Madrid... Este no viene a la iglesia más que a oír música... No, pues, si Maese Pérez no *le arranca* con su órgano *lágrimas como puños*, bien se puede asegurar que *no tiene su alma en su almarío, sino friéndose en las calderas de Pero Botero*... ¡Ay, vecinal Malo... malo..., presumo que vamos a tener *jarana*; yo me refugio en la iglesia; pues por lo que veo aquí van a andar más de sobra los cintarazos que los *Paternóster*. Mirad, mirad; las gentes del duque de Alcalá doblan la es-

12. Ducatus. «Pro moneta aurea usus sordidi atque plebeji, sed in vita civili inevitabilis est» (J. F. NOLTENIUS, *Lexicon Latinae linguae antibarbarum*, p. 226; cfr. etiam DU CANGE, s. v.).

13. *No le arranca lágrimas como puños*. — 9) *No tiene su alma en su almarío*. 10) *Friéndose en las calderas de Pero botero*: Hae locutiones, cum in Latinum convertuntur, neque ad verbum exprimi possunt, neque his similes sententiae apud scriptores Romanos — ut videtur — inveniuntur; illas igitur ita interpretamur ut et sermo Latinus retineatur et nativa locutio quodam modo comprehendi possit.

Heu, o bona! Malum!... malum!..., *concitationem et turbam* praesentio; in templum confugio, nam, quod praevidetur, frequentiores hic ensium ictus erunt, quam quis *Pater noster* proferre possit. St!..., adesto animo!..., sectatores ducis a Compluto angulum plateae Divi Petri superant, ac per Dominarum *angiportum* ducis Medinae Sidoniae pueros quasi conspicerem mihi videor. Nonne verum praedixi?

Inter se aspiciunt, et hi et illi consistunt, a loco non recedentes..., turmae dissipantur..., *apparitores* — quos, data occasione, amici et inimici pulsant—, recedunt, ac vel ipse Praefectus, virgam in manu gerens, in atrium confugit...; *ut facile iustitiam et aequitatem esse credas!*...: in pauperes nimirum!...

Ohe! ohe!, per tenebras clipei emicant! Pro Magnae Virtutis Domine! Ad ictus veniunt...; o bona! bona!... Hic... hic..., prius quam janua ocludatur... At tacedum! Quid est rei? Nondum initio facto, rem absolvunt. Qualis ille splendor? Cerei quoque succensi!... *lecticae!*..., ecce, maxime colendus¹⁴ Episcopus adest!...

Beatissima Virgo Maria, hominum Adjutrix, cujus nunc fidem obsecrabam mente, illum in meum fert auxilium!... Ah! quanto devincta sim officio Dominae nostrae nemo est qui sciat! Cereolos, quos singulis sabbatis coram Illa depono ut ardeant, quanto mihi foenore Illa persolvit!... Illum inspicere, —dico Episcopum—, *qua pollet venustate et elegantia* suis indutus vestibus violaceis ac rubro pileo... Deus illum in sede tot saeculorum tractus servet,

quina de la Plaza de San Pedro y por el *callejón* de las Dueñas se me figura que he columbrado a las del de Medinasidonia. ¿No os lo dije?

Ya se han visto, ya se detienen unos y otros, sin pasar de sus puestos; los grupos se disuelven... *los ministriles*, a quienes en estas ocasiones apalean amigos y enemigos, se retiran, hasta el señor asistente con su vara y todo, se refugia en el atrio... y luego dicen que hay iusticia.

Para los pobres...

Vamos, vamos, ya brillan los broqueles en la obscuridad... ¡Nuestro Señor del Gran Poder nos asista! Ya comienzan los golpes...; ¡vecina! ¡vecina!, aquí... antes que cterren las puertas. Pero ¡calle! ¿Qué es eso? Aún no han

comenzado cuando lo dejan. ¿Qué resplandor aquel? ¡Hachas encendidas! ¡Literas! Es el señor obispo.

La Virgen Santísima del Amparo, a quien invocaba ahora mismo con el pensamiento, lo trae en mi ayuda... ¡Ay! Si nadie sabe lo que yo debo a esta Señora... ¡Con cuánta usura me paga las candelillas que le enciendo los sábados!... Vedlo, *que hermosote está* con sus hábitos morados y su birrete rojo... Dios le conserve en su silla tantos siglos como yo deseo de vida para mí. Si no fuera por él, media Sevilla hubiera ya ardido con estas disensiones de los duques. Vedlos, vedlos, *los hipocritones*, cómo se acercan ambos a la litera del prelado para besarle el anillo... Cómo le siguen y le acompañan confundiendo con

14. De voce *reverendus* Cfr. KREBS SCHMALZ, *Antibarbarus*, s. v., ubi vox serioris Latinitatis habetur; tamen SPRINCHETTI, *Institutiones Sili Latini*, n. 48, p. 92: «Quae sunt antiquitas et recte derivata etsi interdum minus utilia et classica (ut *proteſtio*, *proteſtor*, *rigor* [pro severitate], *ſculptor*, *reverendus*, *ſpatioſus*, *ſubditus*, etc.) adhiberi parce poſſunt et minus certe linguae integritatem corrumpunt, quam quae male derivata ſunt, aut barbara ſunt, hybrida, etc.).»

quot pro me vitam expeto. Nisi ille adesset, jam fere tota Hispalensium civitas his ducum dissensionibus conflagrasset. Illos, illos inspicere quo modo *subdolis animis* ad Antistitis lecticam accedant ut anulum uterque osculetur... Quo modo illum sequuntur, comitantur cum familiaribus immixti... Quis dicat hos, qui veri modo videntur amici, si post dimidiam horam in via obscura congregiantur..., hos..., hos dico!... Absit ut eos ignavos appellem; praeclara enim sui documenta saepe dederunt in Domini nostri hostes strenue proeliantes. Sed, ita prorsus res est, si inter se quaerent... —quaerent tamen ut congregari intenderent—, profecto obviam tandem occurrerent, hisque perpetuis jurgiis finem imposerent in quibus propinqui, familiares, famuli *summum studium sibi* collocant.

Sed sacram aedem, o bona, ingrediamur prius quam *celebritate refertissima sit*, nam aliquando et hujusmodi potissimum nocte adeo completur ut *ne muscam quidem amplius capiat*¹⁵. *Optimum sane aucupium*¹⁶ monialibus ex suo organi moderatore... Quando ut in praesentia monasterium meliore conditione fuit atque fortuna? Id tibi tantum affirmaverim, alios sanctimonialium coetus magistro Perezio optimas dedisse condiciones...; quod tamen mirum non est cum et ipse Reverendus Archiepiscopus ut ad *aedem principem* illum adduceret auri montes ei pollicitus sit... Ipse vero nihil...; prius vitam ponet,

sus familiares. Quién diría que esos dos que parecen tan amigos, si dentro de media hora se encuentran en una calle, obscura... es decir, jellos... ellos!... Libremente Dios de creerlos cobardes; buena muestra han dado de sí peleando en algunas ocasiones contra los enemigos de Nuestro Señor... Pero es la verdad, que si se buscaran... y si se buscaran con ganas de encontrarse se encontrarían, poniendo fin de una vez a estas continuas reyertas, en las cuales *los que verdaderamente baten el cobre de firme* son sus deudos, sus allegados y su servidumbre.

Pero vamos, vecina, vamos a la iglesia, antes que *se ponga de bote en bote*... que algunas noches como ésta suele llenarse de modo que *no cabe ni un grano de trigo*... Buena ganga tienen las monjas con su organista... ¿Cuándo se ha visto el convento tan favorecido como

ahora?.. De las otras comunidades puedo decir que le han hecho a maese Pérez proposiciones magníficas; verdad que nada tiene de extraño, pues, hasta el señor arzobispo le ha ofrecido montes de oro por llevarle a *la catedral*... Pero él, nada... Primero dejaría *la vida* que abandonar su órgano favorito... ¿No conocéis a maese Pérez? Verdad es que sois nueva en el barrio... Pues es un santo varón; pobre, sí, pero *limosnero* cual no otro... Sin más parientes que su hija ni más amigos que su órgano, pasa su vida entera en velar por la inocencia de la una y componer *los registros* del otro... ¡*Cuidado que el órgano es tejo!* Pues nada, él se da tal maña en arreglarlo y cuidarlo, que suena que es una maravilla... Como que le conoce de tal modo, que *a tientas* ..., porque no sé si os lo he dicho, pero el pobre señor es ciego de nacimiento... Y ¡con qué paciencia lleva

15. *Que no quepa ni un solo grano de trigo*; huic locutioni proverbium illud aptamus «ne muscam quidem», quod, quanquam de homine solitudinem quaerente dicitur, (cfr. P. MANUTI, *Adagia*, Florentiae, col. 474), tamen negativa forma —«ne muscam quidem amplius capiat»— de multitudine etiam proferrí posse videtur.

16. *Ganga*. Cfr. «hoc novum est aucupium» (TER. *Eun.* 247).

quam organum, quod amat, deserat. Nonne magistrum Perezium novisti? Recens quidem in vicum nostrum advenisti... Hic profecto sanctissimus est vir; pauper quidem, attamen nemo illo *munificentior*. Nullo alio propinquo quam filia, neque alio amico quam organo, totam agit vitam ut et illius pudicitiam tueatur et hujus repararet *pinnas*¹⁷... *Quantam vetustatem pertulit organum!*... Nihilo minus, ipse tantam in eo componendo et curando impendit operam ut miros edat sonos. Nam illud ita novit ut *praetentando*..., quod nescio an tibi dixerim, bonus enim ille vir a nativitate captus est oculis... Sed quam aequo animo suum fert casum!... Cum quis illum interrogat quantum tribueret ut videre posset, respondet: «Sane multum, sed non adeo ut mente cogitatis, magna enim spes me tenet»... —Videndi spem habes?— «In magna sane videndi spe sum», ac subinde... —ut angelus Dei leniter arridet—, «nam sex et septuaginta vixi annos et quanquam non nihil hac vita frui possum, cito tamen Deum aspiciam»...

Misellum senem!... Deum sine dubio videbit..., nam ut hi viae lapides, qui ab omnibus conculcantur, humilis est... Se ipse misellum organi modestorem hujus monasterii¹⁸ semper appellat, cum vel ipsi magistro coetus cantorum aedis principis musicam tradere possit, in eo enim officio *vel a teneris unguiculis* genitus est atque eruditus. Hocque ejus pater etiam profitebatur officium; patrem tamen ego non noveram; sed bona mater, felicitis recordationis, narrabat solitum illum secum adducere filium ut folles vento inflaret... Deinde adulescentulus adeo bona indole ad id praeditus visus est ut, quod mirum non est, patre mortuo, officium hereditate acceperit...

su desgracia!... Cuando le preguntan que cuánto daría por ver, responde: —Mucho, pero no tanto como creéis, porque tengo esperanzas. —¿Esperanzas de ver? —Sí, y muy pronto —añade sonriéndose como un ángel—; ya cuento setenta y seis años; por muy larga que sea mi vida, pronto veré a Dios.

¡Pobrecito! Y sí lo verá... porque es humilde como las piedras de la calle, que se dejan pisar de todo el mundo... Siempre dice que no es más que un pobre organista de convento, y puede dar lecciones de solfa al mismo maestro de capilla de la Prímada; como que *echó los dientes* en el oficio.. Su padre tenía la misma profesión que él; yo no le conocí, pero mi señora madre que santa gloria haya, dice que le

llevaba siempre al órgano consigo para darle a los fuelles. Luego, el muchacho mostró tales disposiciones que, como era natural, a la muerte de su padre heredó el cargo... Y ¡qué manos tiene! Dios se las bendiga. Merecía que se las llevaran a la calle de Chicarreros y se las engarzasen en oro... Siempre toca bien, siempre; pero en semejante noche como ésta es un prodigio... Él tiene una gran devoción por esta ceremonia de la Misa del Gallo, y cuando levantan la Sagrada Forma al punto y hora de las doce, que es cuando vino al mundo Nuestro Señor Jesucristo... las voces de su órgano son voces de ángeles..

En fin, ¿para qué tengo que ponderarle lo que esta noche oírás? Baste el ver cómo todo lo

17. Registro. Cfr. FORCELLINI, s. v.: *penna*; RICHT, *Dizionario delle antichità greche e romane*, s. v.; ERNOUT-MEILLET, *Dictionnaire étymol. de la langue latine*, s. v. *pinna*.

18. *Monasterium et coenobium generatim in Latinitatem recipiuntur; rejicitur vero conventus* (Cfr. NOLTENIUS, *Lexicon*; KREBS-SCHMALZ; BACCI).

Et quales habet manus! Deus illas sua sancta prosequatur benedictione¹⁹; in viam «Calceolariorum» —ut auro intexerentur— has ego manus perferrem... Optime semper pulsas; sane, semper dico; sed hac nocte *ostenta ac portenta facit*. Maxima ipse animi pietate fertur in hanc sacram ad gallicinium caerimoniam et cum sacra extollitur Hostia mediae noctis puncto, qua nimirum Dominus in mundum advenit... voces organi angelorum vocibus consonant... Sed quid laudibus efferam quod hac percipies nocte? Id tantum tecum cogita primores Hispalensium viros et ipsum Reverendum Archiepiscopum ad humile convenire coenobium ut magistrum Perezium audiant; ac ne crederis tantum apud viros doctos et eos qui musicam colunt atque amplectuntur, sed etiam apud plebeculam, ejus laudem maxime vigere.

Hi omnes qui gregatim facibusque accensis *festivas cantantes Nativitatis cantilenas* accedunt, ac dissonis clamoribus ad *tympana, crepitacula, pastorum-que tympaniola* concinunt, praeter consuetudinem —sacras enim aedes conturbare solent— cum magister Perezius manus organo admovet, animam continent omnesque conticescunt, et cum sacra Hostia effertur, cum fidelibus monstratur, nec muscam volitare percipies... Ex omnium oculis copiosissimae effunduntur lacrimae et cum finis imponitur, ex imo omnium pectore suspirium profluit, quae omnium anima est, dum mira illa symphonia efficitur, contenta. Sed age, eamus intro, jam templi aera conticescunt et continuo sacrum incipiet; intro eamus.

Omnibus haec *fausta bonaque est nox*, nobis profecto omnium faustissima.

Quae cum dixisset bona illa mulier *quae ut sagax monstrator omnia subtiliter sociae praemonstraverat*—, atrium coenobii beatæ Agnetis pertransiit, ac se per mediam turbam jactans, *et cubito trudens manibusque adstantes impellens*, in templum est ingressa, ubi inter multitudinem, quae ante januam coacervata erat, evanuit.

más florido de Sevilla, hasta el mismo señor arzobispo, vienen a un humilde convento para escucharle; y no se crea que sólo la gente sabida y a la que se le alcanza esto de la solfa conoce su mérito, sino que hasta el populacho. Todas esas bandadas que veis llegar con teas encendidas entonando *villancicos* con gritos desaforados al compás de los *panderos*, las *sonajas* y las *zambombas*, contra su costumbre, que es la de alborotar las iglesias, callan como muertos cuando pone maese Pérez las manos en el órgano. y cuando alzan .. cuando alzan no se siente una mosca...; de todos los ojos

caen lágrimas tamaños, y al concluir se oye como un suspiro inmenso, que no es otra cosa que la respiración de los circunstantes, contenida mientras dura la música... Pero vamos, vamos; ya han dejado de tocar las campanas y va a comenzar la Misa; vamos adentro..

Para todos es esta noche *Noche-Buena*, pero para nadie mejor que para nosotros.

Esto diciendo, la buena mujer *que había servido de cicerone a su vecina*, atravesó el atrio del convento de Santa Inés, y *codazo en éste, empujón en aquél*, se internó en el templo, perdiéndose entre la muchedumbre que se agolpaba en la puerta.

19. *Benedicere sensu religioso a magistris purae Latinitatis rejicitur* (cfr. BACCI, s. v.; SPRINGHETTI, *op. mem.*, p. 57).

II

Templum miris collustratur luminibus —quae e sacris aris effulgent atque intimas templi alas illuminant— et in scitis matronarum monilibus micant. Matronae genibus flexis supra *villosi serici pulvinaria*, —quae *cubicularii* sternunt—, libros de manibus famularum excipientes, ante praesbyteri saepta perillustrem effingunt coronam. Ad illa saepta purpureis involuti paenulis —limbo aureo decoratis—, quasi dedita opera insignia equitum «Rubri Viridisque» coloris ostentantes, altera manu gestantes petasum —cujus pinnulae in *stragula texta* demittuntur—, altera vero manu supra laevigata gladioli *capitula* imposita aut ea caelati pugionis capulum demulcentes, stant viginti quattuorviri equites cum plerisque nobilium Hispalensium, ac velut murum ducere videntur quo filias et uxores a plebis contagione tueantur. Plebe vero quae in intimis templi alis agitatur strepitu quodam simili quo mare concitatur, conclamat, jubilat dissonumque cum crepitaculis et tympanis edit sonum, cum Archiepiscopus in conspectum venit. Ipse vero ad aram maximam sedet in solio purpureo, familiaribus circumdatus, terque in populum sacra precatone signum crucis producit.

Hora est sacris ad altare operandi.

Aliquot tamen temporis momenta labuntur prius quam sacerdos sacrum facturum egreditur. Multitudo, moram moleste ferens, concitatur, viri equites inter se summissa voce aliqua mussitant verba, et Archiepiscopus quendam e familiaribus in sacrarium mittit ut, quare sacrificandi initium nondum fiat, anquirat.

II

La iglesia estaba iluminada con una profusión asombrosa. El torrente de luz que se desprendía de los altares para llenar sus ámbitos, chispeaba en los ricos joyeles de las damas que, arrodillándose sobre *los cojines de terciopelo* que tendían los *pajes* y tomando el libro de oraciones de manos de las dueñas, vinieron a formar un brillante círculo alrededor de la verja del presbiterio. Junto a aquella verja, de pie, envueltos en sus capas de color galoneadas de oro, dejando entrever con estudiado descuido las encomiendas rojas y verdes, en la una mano el fieltro, cuyas plumas besaban *los tapices*, la otra sobre los bruñidos *gavilanes* del estoque o acariciando el pomo del cincelado puñal, los caballeros veinticuatro, con gran parte de lo mejor de la nobleza sevillana, parecían formar un muro, destinado a

defender a sus hijas y a sus esposas del contacto de la plebe. Ésta, que se agitaba en el fondo de las naves, con un rumor parecido al del mar cuando se alborota, prorrumpió en una aclamación de júbilo, acompañado del discordante sonido de las sonajas y de los panderos, al mirar aparecer al arzobispo, el cual, después de sentarse junto al altar mayor bajo un solio de grana que rodearon sus familiares, echó por tres veces la bendición al pueblo.

Era la hora de que comenzase la Misa

Transcurrieron, sin embargo, algunos minutos sin que el celebrante apareciese. La multitud comenzaba a rebullirse, demostrando su impaciencia; los caballeros cambiaban entre sí algunas palabras a media voz, y el arzobispo mandó a la sacristía a uno de sus familiares a inquirir el porqué no comenzaba la ceremonia.

—Maese Pérez se ha puesto malo, muy

—Magister Perezius in morbum incidit, graviter certe aegrotat atque sacro ad gallicinium interesse prorsus nequit —haec familiaris ille—.

Quae vox continuo per multitudinem serpsit. Quam aegre id omnes tulerint, verbis exprimi nequit; et adeo in templo conturbari coeptum est ut Praefectus consisteret, et *apparitores*, sese inter confertissimam turbam inferentes, ut silentium facerent, ingrederentur.

Tunc vero homo *incompta specie*, gracilis, ossibus tantum ac pelle constans, strabo praeterea ad Antistitem accessit.

—Magister Perezius morbo affectus est; sacra caerimonia incipere nequit; si tamen libet, organum, eo absente, ipse pulsabo; nam neque magister Perezius omnium est organi moderatorum princeps, neque illo de vita decedente, qui hoc instrumento uti noverit, peritus et sagax vir unquam deerit.

Annuit capite Archiepiscopus, non nulli tamen christifideles —qui illum hominem prorsus singularem, invidum habebant et beatæ Agnetis moderatori inimicum—, id verbis animisque adversis acceperunt, cum repente strepitus in atrio increpuit.

—En magistrum Perezium!... Magister Perezius adest!... His clamoribus, eorum nempe qui ante januam congregabantur, omnium ora convertuntur. Magister Perezius, exsanguis, immutata facie, cathedra advectus, quam omnes umeris gestare cupiunt, sacram aedem ingreditur. Illum enim neque medicorum mandata, neque filiae lacrimae, neque aliud quid lecto retinere potuerunt.

—Non ita prorsus erit...; in extremo profecto sum, equidem scio, neque tamen moriar quin meum visam organum, et hac in primis fausta Domini nocte. Agite, eamus, sic volo, sic jubeo; templum ingrediamur.

malo, y será imposible que asista esta noche a la Misa de media noche.

Esta fue la respuesta del familiar.

La noticia cundió instantáneamente entre la muchedumbre. Pintar el efecto desagradable que causó en todo el mundo, sería cosa imposible; baste decir que comenzó a notarse tal bullicio en el templo, que el asistente se puso de pie y los *alguaciles* entraron a imponer silencio, confundiendo entre las apañadas olas de la multitud.

En aquel momento, un hombre *mal trazado*, seco, huesudo y bisojo por añadidura, se adelantó hasta el sitio que ocupaba el prelado.

—Maese Pérez está enfermo —dijo—; la ceremonia no puede empezar. Si queréis, yo tocaré el órgano en su ausencia; que ni maese Pérez es el primer organista del mundo, ni a

su muerte dejará de usarse este instrumento por falta de inteligente.

El arzobispo hizo una señal de asentimiento con la cabeza, y ya algunos de los fieles que conocían a aquel personaje extraño por un organista envidioso, enemigo del de Santa Inés, comenzaban a prorrumper en exclamaciones de disgusto, cuando de improvisó se oyó en el atrio un ruido espantoso.

—¡Maese Pérez está aquí!... ¡Maese Pérez está aquí!...

A estas voces de los que estaban apañados en la puerta, todo el mundo volvió la cara.

Maese Pérez, pálido y desencajado, entraba en efecto en la iglesia, conducido en un sillón, que todos se disputaban el honor de llevar en sus hombros.

Los preceptos de los doctores, las lágrimas

Quod erat in votis, tandem est exsecutus; adstantes illum manibus ad suggestum deferunt, et sacrificandi initium sumitur.

Eo temporis puncto aedis principis horologium duodecimam signabat personabatque horam. Introito, Evangelio, Offertorio expletis, sollemne illud adest momentum quo sacerdos summis digitis consecratam sumit Hostiam eamque levat sublimem. Thuris quasi nebula, quae in caeruleas undas diffunditur, totum templum complet, tintinnabula festivo sonitu resonant atque magister Perezius organi *tessellas eburneas*²⁰ contractis manibus premit.

Sexcentae tubulorum metallicorum voces *sollemni* atque producto personuerunt *concentu*; qui, velut si lenis spiritus extremas notulas musicas absumpsisset, paulatim diffluit atque evanuit. Huic primo concentui —qui quasi vox videbatur e terris in caelum intendens—, alius, procul adveniens ac suavitate gratus, subit, qui crescens seseque expandens in *concordissimam symphoniam* profluit. Haec sane erat Angelorum vox, quae per vacuum caelum volitans, in terrarum orbem adveniebat.

Deinde hymni longinqui —quos Seraphim agmina praecinebant—, exaudiri coepti sunt; mille quidem hymni, qui, sese commiscentes, in unum tandem desinebant hymnum; qui tamen nihil aliud erat nisi *sonis adspiratio* cuiusdam singularis *moduli*, qui inter miros illos sonos —velut nebulae *fasciola* in maris fluctibus— quasi fluitare videbatur. Deinde alius post alium hi can-

de su hija, nada había sido bastante a detenerle en el lecho.

—No —había dicho—; ésta es la última, lo conozco, lo conozco, y no quiero morir sin visitar mi órgano, y esta noche sobre todo, la Noche-Buena. Vamos, lo quiero, lo mando; vamos a la iglesia.

Sus deseos se habían cumplido; los concurrentes le subieron en brazos a la tribuna, y comenzó la Misa.

En aquel punto sonaban las doce en el reloj de la catedral.

Pasó el introito y el Evangelio y el ofertorio, y llegó el instante solemne en que el sacerdote, después de haberla consagrado, toma con la extremidad de sus dedos la Sagrada Forma y comienza a elevarla.

Una nube de incienso que se desenvolvía en ondas azuladas llenó el ámbito de la iglesia; las campanillas repicaron con un sonido vibrante, y maese Pérez puso sus crispadas manos sobre las teclas del órgano.

Las cien voces de sus tubos de metal resonaron en un acorde majestuoso y prolongado, que se perdió poco a poco, como si una ráfaga de aire hubiese arrebatado sus últimos ecos.

A este primer acorde, que parecía una voz que se elevaba desde la tierra al cielo, respondió otro lejano y suave, que fue creciendo, creciendo, hasta convertirse en un torrente de *atronadora armonía*.

Era la voz de los ángeles que atravesando los espacios, llegaba al mundo.

Después comenzaron a oírse como unos

20. *Tessellas eburneas*. Dissident inter se scriptores cum vocem *tecla* (*taſto*) latine interpretantur; alii enim *teclam* novarunt (cfr. *Candidatus Latinus*, n. 5, p. 68, *Palaeſtra Latina*, n. 21, p. 33: *tecla*: (*tudicula*); alii *pessulum*, *malleolum*, *pinnam* proferunt (COGNASSO, *Il Latino per l'uso moderno*; BIONE, *Vocabulario della Lingua Latina*, s. v.); alii vero (Vox Urbis; JACOBELLI, *Novi Flores*; BACCI), *dulcisonum ebur quadrulis textum* instrumentum dixerunt quod alii *clavibordium* nuncuparunt. Ex qua locutione *quadrulam eburneam*, et rectius, ut videtur, *tessellam eburneam* mihi visus sum vocem *tecla* aptare posse.

tus diffluunt atque in quendam unitatem expediuntur. Duae tantum voces percipiuntur, quarum repercussi soni inter se miscentur; deinde una tantum remanet segregata vox, notulam vibrantem, velut lucis radium, sustentans.

Sacerdos caput demittit; ac supra canum illud caput, et inter *caeruleum* et *tenue velum* —quod thuris fumus effingit—, sacra Hostia ante fidelium conspectum apparet. Illo temporis puncto notula, quam magister Perezius producit ac modulatur, expanditur, diffunditur atque suavissima symphonia totam opplet sacram aedem, in cujus angulis lenis aura repressa susurrat, ejusque crystalli —coloribus insignes— in angustis *fenestellis*,²¹ *columnis interpositis*, leniter vibrant.

Ex illis notis, quae mirificum illud efficiunt concentum, *modus musicus* effingitur: quo aquae aves, aurae frondes, homines angeli, terra caelum: alii proximi, alii extimi, vigentes hi, temperati illi, omnes suo quisque modo ac sermone Nativitati Christi hymnum concinunt. Multitudo maxima afficitur admiratione stupetque audiens. Omnium oculi lacrimis perfunduntur, omniumque animi compositi totique in se intenduntur. Sacerdos sacris faciens, manus contremiscere sentit; ille enim, quem manibus attrectat et levat sublimem, quem homines et Archangeli salutant, suus est Deus, verus Deus suus..., caelique aperire sibi videntur et sacra Hostia in caelestem mutari formam.

Personat organum; ejus tamen voces gradatim extinguuntur, quasi vox quae *in reboantes sonos evanescit*, longius abducitur ac, dum recedit, langues-

hímnos distantes que entonaban las jerarquías de serafines; mil himnos a la vez, que al confundirse formaban uno solo, que, no obstante, era no más *el acompañamiento* de una extraña *melodía*, que parecía flotar sobre aquel océano de misteriosos ecos, como un *virión* de niebla sobre las olas del mar.

Luego fueron perdiéndose unos cantos, después otros; la combinación se simplificaba. Ya no eran más que dos voces, cuyos ecos se confundían entre sí; luego quedó una aislada; sosteniendo una nota brillante como un hilo de luz... El sacerdote inclinó la frente, y por encima de su cabeza y como a través de *una gasa azul* que fingía el humo del incienso, apareció la Hostia a los ojos de los fieles. En aquel instante la nota que maese Pérez sostenía trinando, se abrió, se abrió, y una explo-

sión de armonía gigante estremeció la iglesia, en cuyos ángulos zumbaba el aire comprimido, y cuyos vidrios de colores se estremecían en sus angostos *ajimeces*.

De cada una de las notas que formaban aquel magnífico acorde, se desarrolló un *tema*; y unos cerca, otros lejos, éstos brillantes, aquéllos sordos, diríase que las aguas y los pájaros, las brisas y las frondas, los hombres y los ángeles, la tierra y los cielos, cantaban cada cual en su idioma un himno al nacimiento del Salvador. La multitud escuchaba atónita y suspendida. En todos los ojos había una lágrima, en todos los espíritus un profundo *recogimiento*.

El sacerdote que oficiaba, sentía temblar sus manos, porque Aquél que levantaba en ellas, Aquél a quien saludaban hombres y ar-

21. «Angusta fenestella, columna interposita», respondet voci Arabicae *ajimez*.

cit... Cum subito in suggestu clamor lacerans, acer clamor, clamor mulieris exauditur...

Organum dissonum rarumque edit sonum singultui similem..., et obmutescit.

Turba in suggestus scalas tumultuose irrumpit —et sacro illo mentium stupore deposito—, in suggestum omnium oculi anxie convertuntur. Quid est rei? Quid evenit? Alius alium interrogat, neque quisquam respondet quod omnes conjectura assequi conantur; et perturbatio augetur et tumultus adeo intenditur ut ordinem et mentium attentionem, quae domui Dei conveniunt, facile perturbent.

—Quid tandem? matronae a Praefecto sciscitantur —qui praeentibus apparitoribus ex primis fuerat qui in suggestum conscenderat, quique nunc ore pallido magnoque affectus moerore ad locum, quo illum Archiepiscopus opperiebatur, accedebat—; nam is quoque anxio erat animo, ut ceteri adstantes, causam tandem illius perturbationis agnoscere cupiens.

—Quid est novi?...

—Magister Perezius exanimis concidit...

Ac re quidem vera, primi fideles qui per scalas properantes sociosque impellentes ad suggestum convenerunt, misellum conspexerunt organi moderatorem in tessellas eburneas veteris instrumenti pronum, quod etiam obscure vibrabat, dum filia genibus ante illum flexis ingemens flensque illum inclamat.

cángeles era su Dios, era su Dios, y le parecía haber visto abrirse los cielos y transfigurarse la Hostia.

El órgano proseguía sonando; pero sus voces se apagaban gradualmente, como una voz que *se pierde de eco en eco y se aleja y se debilita al alejarse*, cuando de pronto sonó un grito desgarrador, agudo, un grito de mujer.

El órgano exhaló un sonido discordante y extraño, semejante a un sollozo, y quedó mudo. La multitud se agolpó a la escalera de la tribuna, hacia la que, arrancados de su éxtasis religioso, volvieron la mirada con ansiedad todos los fieles.

—¿Qué ha sucedido? ¿Qué pasa? —se decían unos a otros, y nadie sabía responder, y todos se empeñaban en adivinarlo, y crecía la confusión, y el alboroto comenzaba a subir de

punto, amenazando así turbar el orden y el recogimiento propios de la iglesia.

—¿Qué ha sido eso? —preguntaban las damas al asistente, que precedido de los ministros, fue uno de los primeros en subir a la tribuna, y que pálido y con muestras de profundo pesar, se dirigía al puesto en donde le esperaba el arzobispo, ansioso, como todos, por saber la causa de aquel desorden.

—¿Qué hay?

—Que maese Pérez acaba de morir.

En efecto, cuando los primeros fieles, después de atropellarse por la escalera, llegaron a la tribuna, vieron al pobre organista caído de boca sobre las teclas de su viejo instrumento, que aun vibraba sordamente, mientras su hija, arrodillada a sus pies, le llamaba en vano entre suspiros y sollozos.

EPISTULARUM INTER SOCIOS COMMERCIIUM

Proponuntur et expenduntur vocabula quibus voces *báscula*, *balanza de precisión*, cet. latine reddi oportet.

Suavissimo suo Josepho Mirio, Josephus Holzer, sal. pl.

Perlecto PALAESTRAE LATINAE fascículo, qui nuper foras datus est, modo gaudebam, quod mea auctoritatula tantum apud te valui, ut illum «*Novorum et Veterum*» de *Statione et ferrivia* (cfr. *fasc. sup.*) locum retractaveris subjectis annotationibus summa doctrina conspicuis, quas studiosissime persecutus sum, deinde dolebam, quod mea socordia factum est, ut statera *bascularis* iterum in oculos sit conjecta. Nam jam liquores ardentes explicanti mihi (cfr. *PAL. LAT. 25 (1955) p. 39 sqq.*) in animo erat *stateram bascularem* aggredi. Sed, qua sum negligentia professoria, tum oblitus eram emendare pro ingenii facultate. Sic quae omisi, jam resumere licet, praesertim quod «*bascularem* retineri voluisti, quia haud facile hujusmodi stateram luculentioribus verbis significabimus, quae omnes expedite percipiant». Videamus!

Primum monere juvat PALAESTRAE LATINAE fasc. XXIX, qui anno MCMXXXIII editus est, pag. XXIV *Joveum* rem temptavisse proposito *tollenone* pro *báscula*. *Tollenonem* autem quod usurpavit vir Dei, mihi venit in suspicionem *Joveum* non a *tollenone*, sed a *báscula* profectum esse. Qua de causa videtur consentaneum esse propius me accedere ad vocem Gallicam, quae est *bascule*, cum mihi penitior sit Gallicae loquelae cognitio quam Hispanicae. Sed supersedeo intrare in ejus vocis veriloquium, quippe quod castiores offendat aures. Muliones enim aequo validiores amant dictiones, quae tamen, unde ortae sint, plerumque tempore procurrente e conscientia loquentium evanescit. Ex primaria autem vocis vi, quae est *postilena*, quae in Incessu modo attollitur modo deprimitur, hae significationes promanaverunt:

- a) ductarii pontis tolleno,
- b) trabs ad aquam e puteis hauriendam,
- c) machinae lusoriae cantherio impositae genus, cui duo pueri, cruribus hinc inde porrectis, alter ex adverso alteri, insidentes corpus sursum deorsum motitant: *oscillum*,
- d) jugum in temone,
- e) plaga dorso incussa.

Quas significationes, si tecum consideraveris initio a vi primaria facta, concedes facile ita ampliari potuisse, ut etiam id pensandi instrumentum denotetur, quod a. MDCCCXXI sollertia viri Argentoratensis nomine Quintenz inventum et curis virorum Bollé et Schwilgué ad perfectionem adductum majora onera veluti dorso suscepta ponderibus librat, quodque hisp. *báscula* et gall. *bascule* appellatur. Nego tamen *tollenonem* per se sine additamento peculiari, quippe qui gruis solummodo vicem expleat, cum *tolleno* ex Vegetiana descriptione quam loc. mem. Joveus attulit machinamentum sit, quod modo attollitur modo deprimitur, de *báscula* intellegi posse. Quapropter nomen adjectivum *librilis* «*perspicuitatis causa*» apponendum esse censeo, ut *trutinae* genus percipiatur.

Deinde consulto *Dictionario Linguae Hispanicae Illustrato*, cui index est «*Vox*» hanc rei descriptionem inveni, quae eo loco sic se habet: «*Báscula* est instrumentum ad pensanda onera, quae, super pontem instratum posita, ope phalangerum aut vectium invicem commissarum, publice probato pondere librantur tamquam aequipondio, quod lanci imponitur suspensae de staterae, quae Romana vocatur, *bracchio*». In cujus explicationis verbis «*supra pontem instratum*» i. e. «*sobre una plataforma*» vis et cardo videtur positus esse. Collatis locis, qui apud Vergilium *Aen.* IX, 530 et XII, 675 atque apud Tacitum *Ann.* II, 6 leguntur, nomen *pontis* aptum esse opinor ad illud trapezium aut tabulamentum oculis subiciendum, quod onera pensanda suscipit et pontis vectibus inaequalibus suspensi instar obtinet. Est igitur *báscula* nihil aliud ac libramentum ponte stratum, id ipsum, quod Germani *Brückenwaage* nuncupant. Quod cum ita sit me *stateram pensilem* procudere quis vetabit? *Stateram* autem *bascularem*, ut semel dicam, quamvis quodam modo e sermone posterioris aetatis Latino repeti possit, aegre fero atque jam tum, cum libellum *Nova et Vetera* primum legebam, p. 61 in margine plumbo annotavi: *libramentum pontile* Latinius sonat.

Quod meum erat, feci pro viribus. Tuum erit dijudicare, utrum melius et luculentius rem explicet, «*tolleno librilis*» an «*statera pontilis*». Nomen adjectivum *bascularis* utique probare non sustineo, etiamsi *báscula* in eis numeranda est rebus, quae Latine difficilius reddi possunt. Neque tamen vereor, ne mea viriliter pronuntiata sententia ad cenam venerim ut hospes importunus atque invisus. Ideo suspenso animo tuum opperior de propositis rebus iudicium. Vale!

Scr. Lebachio, Kal. apr., quo die Dominicam Resurrectionem peregrimus, a. MCMLVI.

Quandoquidem supra tecum, amice, sermocinatus sum de trutinis, interrogare licet, num tibi pro *balanza de precisión* apta videatur *trutina* aut *statera plenae* atque *perfectae accurattonis*.

JOSEPHUS

Josephus M.^a Mir, C. M. F. Josepho suo Holzer sal. pl.

Quid te dicis hospitem importunum et invisum? Nulla prorsus inter amicos importunitas, nulla invidia, inter illos in primis qui simplicem amant veritatem summaque enituntur opera ut illam penitus investigent.

Omnibus enim, qui linguam Latinam ubique gentium colunt, verba proponimus quae expendantur, dijudicentur, accipiantur aut explodantur; vocum novarum non effectores nos venditamus, sed earum tantum quasi inquisitores et investigatores. Sociorum igitur simplex apertumque iudicium, qui suam proferunt sententiam quique et ipsi sedulo veritatem anquirunt, rejiciemus? Nullo modo, omnes enim in unum contendimus ut res definiamus apteque latine appellemus.

Vel in nostratibus linguis verba esse scimus quae nata omnium favore et gratia fruuntur, alia vero quae a populi iudicio et usu facile recedunt. Nostra vero aetate cum tot tantaque rerum inventa sint declaranda et nominanda, difficilius Latinae reperiuntur ad ea exprimenda voces quae fidem habeant. In his effingendis cauto nobis opus est, praesertim cum in Latinum voces ex vernaculis linguis necessitate compulsi, inducimus. Interdum tamen in arto haeremus et donec alius superiore doctrina excultus vir probabilior promat vocem, nos quasi subitariam non sine cunctatione et verecundia evulgamus. Nonne id ipsum Ciceroni, dum verba philosophica effingere tentabat, eveniebat? Quidni gaudeamus cum amici —ut tu fecisti— plane commonstrant horreum thesaurumque Latinum —ex quo recentia producimus verba— nondum esse exhaustum? «Bascularem» igitur libenter, te monente, rejiciamus. De vocis *báscula* etymo quodammodo Dr. Corominas me docuerat.¹ Et quamvis Gallicam scirem vocem, rei verbique novitate pressus, audacius ex voce *báscula* adjectivum eduxi.

De loco PALAESTRAE LATINAE ubi Joveus, vir Dei, de trutinis egerat et stateris, recte monuisti, qui locus penitus me fugerat; magistrum enim —qua par est reverentia— commemorassem ut saepius in illis notulis libens feci. Tamen re diutius perpensa in illo «tollenone» pro *báscula* admittendo mihi haeret aqua; nam hic vocis sensus in difficultatem incurrit, cum ex locis, qui afferuntur, «tolleno» aliud significasse appareat, et ex recentioribus alii ad scansorium,² alii ad gruem,³ alii ad alia instrumenta vocem aptari voluerint;

1 J. COROMINAS, *Diccionario crítico etimológico de la lengua castellana*, Vol. I, pg. 419: BASCULA, del fr. *bascule* «aparato que se balancea», «báscula», antiguamente *bacule* (alterado por influjo de *basse* «baja»), derivado de *baculer* (hoy *basculer*) «balancearse», y éste de *battre*... En el siglo XIX todavía se halla *balanza de báscula* a semejanza de como se dijo originariamente en francés.

2 Sic JACOBELLIUS, *In campo Latinitatis Novi Flores*, s. v., praeter alias voces pro *ascensor*, COGNASSO, *Il Latino per l'uso moderno*, habet «tollo, onis», fortasse pro «tolleno, onis».

3 Cfr. BACCI, *Lexicon*, s. v. *Gru*; *Nova et Vetera*, p. 53, n. 18.

vox tamen rejicienda fortasse non erit, si adjectivum «librilis», ut mones, adjungatur.

Ego vero a «statera» non recedam, quae tamen peculiari nota declaretur; *statera* tua *pontilis* non displicet, quia in ponte librante peculiaris rei nota perhibetur; at licet ab ambitu verborum plerumque recedamus, ex definitione quam protulisti eritne tibi probabilis locutio «statera instrati pontis», fortasse et «statera instrata», «statera constrata» ut de navibus constratis dicimus?

Pro *balanza de precisión* tuam «trutinam plenae atque perfectae accuratio- nis» non abjicerem; «accuratio» tamen melius vox activa (in eo qui accurat), quam passiva (seu in re) esse videtur. Plura mecum volvens volutansque lexicon Forcellinianum tandem in mentem venerunt: «trutina bonae, opti- mae, exquisitae, exactae, fidei; trutina exquisitae, accuratissimae notae»; quae tamen locutio fortasse ad *balanza de óptima calidad, de la mejor marca* melius aptaretur. Et ex verbis Caesaris («Certis ex aqua mensuris breviores esse noctes videbamus» B. G., 5, 13, 4), quare non proferamus: «trutina certae, certissimae, exactissimae mensurae»?

Tua et sociorum compulsus voluntate ad alia declaranda et retractanda vocabula id posterum accedam. Proximo fascículo in animum induxi de «ta- baco» disserere. Fac me de novis vocibus, quae in promptu habeas certio- rem.

Valeas cum uxore spectatissima et filiis.

Scribebam Barbastro, idibus aprilibus, a. MCMLVI.

NUPER PRODIIT

LA TRADUCCIÓN LATINA A

a J. Jiménez Delgado, C. M. F.,

in Pontificia Universitate Salmanticensi Prof.

[PÁGINAS DE LA REVISTA DE EDUCACIÓN, Madrid, 1955]

In hoc eleganti et elaborato opusculo omnes quaestiones, quae in con- vertendis scriptoribus Latinis in nostrates linguas proponuntur, aut difficul- tates quae, cum in linguam Latinam nostra reddimus, facile exsurgunt, cl. litterarum Latinarum magister probato iudicio exponit atque expendit.

Opusculi pretium est 15 pesetarum

Pro PALAESTRAE LATINAE sociis speciales pretii deductiones (°/o) fient:

CONDE, 2. — BARBASTRO (HUESCA)

AD VESPERAM

*Dulcis, quod forsā postremae es pacis imago,
tu mihi spectanti, Vespera, dulcis ades.
Nubes seu roseae calida te aestate sequuntur
dum laeti zephyri te veniente fluunt,
seu pavidas tenebras hiemali tempore ducis
et longa in terras nox inimica ruit,
tu mihi blanda venis semper, tu pectoris imos
allicis ac sensus, Vespera, dulce tenes.
Te veniente trahor vacuas dum pacis ad umbras
aeternae, fugiunt tempora saeva mihi,
cumque illis migrat curarum exercitus acer,
quo se una mecum tempora saeva terunt,
dumque tuam pacem contemplor, Vespera, dormit
bellica quae rabies corda furore quatit.*

DE SE IPSE

*Ne mea vincla malas quis rumor vulget ad aures,
spe, lacrimis vivo, vivo et amore silens.
Sive etenim compello ipsam, seu cogito eamve
forte cano, illius tunc pietate premor.
Tu me, rive, unus, qui solo murmure curris,
audis, quo noctis tempore ducit Amor.
Tunc lacrimas credo tibi, tunc mea vulnera narro,
et quantus teneat pectora fracta dolor:
ridebant grandes diffuso lumine ocelli,
lumine et aeterno cor rapuere meum;
osque rubescebat puro nitidoque colore
ambrosiaeque comae flumina pura dabant...
Haec, corpusque nitens verba et praedulcia tandem
flere et amare simul me docuere diu.*

Convertit ex brevibus carminibus Hugonis Foscolo¹:

JOSEPHUS MORABITO

Messanae

¹ Cfr. de Hugonis Foscolo vita et operibus, *Gymnasium*, [Torino], N. 14, 1956, p. 485.

PER ORBEM

I Congressus Hispanicus ad Studia Classica Provehenda. — Ut superiore PALAESTRAE LATINAE fasciculo scripsimus, a die 15 ad 19 m. aprilis, Matrili Primus Congressus Hispanicus ad Studia classica provehenda habitus est. Litterarum classicarum viri studiosissimi quamplurimi non tantum Hispani, sed etiam Lusitani, Galli, Angli, Germani Congressui affuerunt, ut Dmla. J. Ernst, Joannis Malye, Dr. Walter Starkie, Dr. Marius Puelma, Prof. J. F. Lockwood, Prof. H. Bardon, Alphonsus Dain, Michäel Lejeune, Robertus Etienne, Henrica Malcovati, J. H. Oliver, L. R. Palmer, Americus da Costa Ramalho.

Bis in die conventus agebantur: mane, ab hora nona cum dimidia, et vespere, ab hora quarta cum dimidia. In his conventibus sapientissimi magistri commentata perlegerunt, quorum haec sunt praecipua: «*Problemas suscitados por el desciframiento del Micénico*» (M. Sánchez Ruipérez); «*La lírica griega a la luz de los descubrimientos papirológicos*» (M. Fernández-Galiano); «*La pedagogía de las lenguas clásicas en la Enseñanza Media*» (E. Fernández Vista); «*La pedagogía de los estudios clásicos en la Enseñanza Universitaria*». (L. Rubio Fernández, S. Agud Querol, J. Alsina Clota); «*Problemas históricos y arqueológicos del s. III d. C.*» (M. Tarradell) «*Problemas del griego y del latín en España. Algunos intentos de solución*» (F. R. Adrados); «*Marcial*» (J. M.^a Pabón); «*El latín medieval español*» (M. Díaz y Díaz).

Aliae lectae sunt relationes quae cum superioribus quadam conexione conjungebantur. Negotium tamen maximum in Congressu agitatum est de alumnis lingua Latina et Graeca instituendis. Et cum verum sit in litteris classicis omnem posteriorem humanitatem et disciplinam esse constitutam, illas magni in Gymnasio seu Bacchalaureatu aestimare debemus; ad quam aestimationem majores nostri exemplo suo nos concitant qui studia classica studiosissime et elegantissime coluerunt. Ut autem, quae mente sunt excogitata et ore prolata, eventu feliciter succederent, haec proposita sunt: docendi et discendi rationem renovare atque ampliorem et altiore magistrorum disciplinam studiose curare.

Primus Congressus Hispanicus ad Studia Classica provehenda pergratus omnibus fuit. Quo ea quae apud cives Hispanos extremis annis perfecta sunt dilucide patuerunt, eoque ad ea quae adhuc sunt perficienda animi acriter incensi sunt atque moti. Nos vero Moderatoribus Societatis Hispanicae ad Studia Classica provehenda ob optimam Congressus constitutionem et distributionem ex animo gratulamur.

Viventis linguae Latinae causa conventus Universus. — «A die 2 ad 6 m. Septembris Avenione patrabitur, faventibus Summo Magistro Patriae Disciplinae, Aquarum Sestiarum Academia, Gallica Societate».

Cursus conciliorum hic nuntiatus est: «*Die Dominica, 2 sept.*: Advenient participes. *Lunae die 3 sept.*: Nona hora. Prima sessio in maximo conclavi Pontificum Palatii, praesidente D. Daladier, Avenionis Legato et Consule, Summorum Reipublicae Magistrorum olim Principe. Decima hora. Magister Joannis Bayet, quomodo latina grammatica simplicior fieri possit, explicabit. Disputabitur. Quinta decima hora. Magister Burck quomodo verba latina pronuntianda sint explicabit. Disputabitur. Duodevicesima hora. Participes a Praefecto Vallis Clausae accipientur. *Die Martis 4 sept.*: Excursio. Vestigia urbana Vasione Romana reperta visentur. Arausione, cujus explorabuntur monumenta, cenabitur. Vicesima prima hora. Ludus «Sonus et Lumen» ante muros Pontificum Palatii. *Die Mercurii 5 sept.*: Nona hora. Magister Beach quomodo latina lingua edocenda sit explicabit. Disputabitur. Quinta decima hora. Magister Pacitti quomodo latina lingua renovari possit explicabit. Disputabitur. Vicesima hora. Cena sub candelis in quadam exedra Palatii Pontificum (nulla sit toga, nulla apparatus vestis). *Die Jovis 6 sept.*: Ultima sessio. Conventus exitus».

Moderatores in lucem ediderunt quaedam clarissimorum virorum scripta quibus non nullae de lingua Latina quaestiones agitantur; suam quisque scriptor sententiam explicat de rebus grammaticis, de modo loquendi latine, de novis vocibus formandis, cet.

Certamen Capitolinum VIII. — Iisdem legibus ac praemiis quae superioribus annis sunt proposita, *Institutum Romanis Studiis provehendis ad Certamen Capitolinum VIII* omnes omnium gentium Latini sermonis studiosos homines invitat. Libellorum exemplaria mittantur ad «Istituto di Studi Romani — Ufficio Latino— Piazza dei Cavalieri di Malta, 2 - Roma» ante kalendas Februarias proximi anni.

IX Curriculum Linguarum Classicarum atque Litterarum Hispanicarum. — Ut superioribus annis *Consociatio Hispanica Litteris Humanioribus excitandis IX Curriculum Linguarum Classicarum* praeparat ejusque edidit «programma»; Curriculum Salmanticae, a quinto ad vicesimum quintum diem mensis Augusti habebitur. Diebus tamen Dominicis 12 et 19, honoris tribuendi causa Menéndez Pelayo, cl. viri Dr. Emmanuel García Blanco, Dr. D. Aloisius Morales Oliver, D. Nicolaus González Rufz, D. V. E. Hernández Vista, in Aula Magna Universitatis orationes pronuntiabunt.

εἶδος: Commentarii sunt perlucidi et elaborati qui mense Julio anno 1954 primum in lucem dati sunt ab «Institutione Teresiana», ac bis in anno evulgantur. In eis lucubrationes a feminis sapientissimis conscriptae,

de re philosophica, de re theologica, de litteris colliguntur. Horum Commentariorum pretium in Hispania est: 70 pesetarum, extra Hispania vero: 100 pesetarum. Moderatio et Administratio: Gral. Mola, 48, Madrid.

Orpheus. — Sunt etiam Commentarii in Italia conscripti, qui tertium jam eduntur annum, in quibus lucubrationes de litteris humanioribus tum classicis tum christianis invenies. Sedem Moderatoris habes in *Università di Catania, Centro di Studi sull'Antico Cristianesimo*.

El español Diocles, «as» de los circos romanos. — Nostris diebus, cum tot homines ludis student ludorumque victoribus plaudunt, Dioclis memoria Hispani Lusitani omnium agitatorum nobilissimi, qui postquam 1462 victorias adeptus est atque sextertiorum 45.863.120 summam congesit, in vitam quietam privatamque secessit, digna est quae afferatur ac dilaudetur. Quod quidem fecit cl. v. A. García y Bellido, qui praeter versionem Hispanicam primam atque absolutam totius inscriptionis Romanae, in qua facinora maximi agitatoris omnia ac singulatim describuntur, notulas eruditissimas praebet, quae textum illustrent, et interpretationis Hispanicae rationem reddat. Qui Latinitati vacant atque ut nostris temporibus illam aptent strenue laborant, lucubrationem hanc magni facient quod in ea verba ad ludos et gymnica invenient quae vocibus hodiernis respondent vel facile aptari possunt (*Arbor*, XXXII (1955), 251-262).

Praecipuae e commentariis lucubrationes

- Nueva reconstrucción de los epodos de Arquíloco, F. R. Adrados (*Emerita* XXIII, 1-79).
 Cantidad silábica y métrica estructural en griego antiguo (*Em.* XXIII, 79-96).
 El manuscrito barcelonés de Teócrito (*Em.* XXIII, 165-182).
 Das Problem der Lücke und der Secundusrede in Dialogus de Oratoribus (*Em.* XXIII, 182-210).
 Sobre un códice de Jenofonte, del siglo X. G. Andrés Martínez (*Em.* XXIII, 233-257).
 El estilo del Orfeo de Virgilio, J. de Echave-Sustaeta (*Helmántica*, VI, 373-386).
 La religión helenística, J. Alsina Clota (*Ib.*, 387-416).
 Importancia y uso de la lengua latina en nuestros días, Idefonso González (*Ib.*, 419-434).
 Un códice de Juvenal en Navarra, Julio Campos (*Ib.*, 435-458).
 De Grammatica Lucretiana, J. Campos (*Helmántica*, VII, 3-69).
 La Homilía como forma de predicación, Daniel Rutz (*Ib.*, 79-112).
 Sobre la Filosofía Religiosa Helenístico-Romana, J. Alsina Clota (*Ib.*, 113-122).
 Estilística moderna en los Autores Clásicos, L. Ellacuría (*Ib.*, 123-146).
 L'essenza della concezione politica di C. Giulio Cesare, Luigi Pareti (*Studi Romani*, IV, 129-142).
 Les vendanges dionysiaques et la légende de Messaline (48 ap. J. C.), J. Colin (*Les études classiques*, XXIV, 25-39).
 Auteurs anciens de «poésie» et sensibilité contemporaine, M. Delaunoy (*Ib.*, 43-57).
 «Venus, venia, Cupido», A. Ernout, (*Revue de Philologie*, XXX, 7-27).
 Remarques sur les fragments 34 et 35 de Xénophane, A. Rivier, (*Ib.*, 37-61).

JACOBUS GARCÍA, C. M. F.

COLLECTANEA

Qui litteris humanioribus vacant, fortasse ad studia mathematica parvi pendenda facile adducuntur. Qui vero mathematicorum disciplinam colunt, humaniores litteras parvi faciunt. Neutram tamen sententiam sequamur oportet. Cum enim in medio stet veritas, illius opinio omne punctum feret, qui utramque rem —et humaniorem et mathematicam— in synthesim reducat atque conjungat. Quo modo id fieri possit, luculenter demonstrat pellucida explicatione cl. v. L. DONNET, qui virtutes paedagogicas utriusque disciplinae exponit in commentatione cui est index *Le Latin et l'Algèbre*, quam in commentariis «Les études classiques» XXIV (1956) 63-66 invenies:

«J'ai réfléchi simultanément à la traduction de la période latine et à la conversion de la somme algébrique en produit et je trouve à ces deux travaux un air de famille. Ils s'élaborent tous deux en plusieurs étapes dont le parallélisme est manifeste.

Voici la marche suivie pour la période latine:

1.° Une première lecture permettant de se rendre compte des ressemblances entre les mots et d'émettre une première hypothèse de recherche.

2.° Le groupement des mots révèle des affinités grammaticales, que l'on examine soigneusement.

3.° La découverte de la hiérarchie des propositions et leurs membres, c'est-à-dire de l'unité de la phrase, dont les mots paraissent juxtaposés ou peut-être jetés pêle-mêle.

4.° L'expression du sens de la phrase, la traduction proprement dite, les diverses circonstances de l'idée principale se groupant autour d'elle en cercles concentriques, la nuanciant mais n'ayant de vie que par elle.

5.° L'appréciation du texte français ainsi obtenu, en le relisant et en se demandant: a-t-il un sens et un sens acceptable, insérable dans le contexte?

Et pour la conversion de la somme algébrique en produit:

1.° Un premier survol au cours duquel on aperçoit les termes à rapprocher et pressent plus ou moins clairement la forme ultime de l'expression, vers laquelle on tendra donc.

2.° Le groupement des termes apparentés par leurs facteurs et leurs exposants, confrontés sans précipitation.

3.° La constatation que les divers éléments du polynôme ne sont pas simplement alignés, mais qu'ils sont susceptibles de donner en s'organisant un résultat d'une qualité plus élevée: le produit remplaçant une somme.

4.° La mise sous forme de produit: à la coordination de la suite initiale on substitue la subordination à l'ensemble d'éléments nouveaux, incomplets si on les dégage tels quels des facteurs.

5.° Le jugement du résultat: peut-on s'y arrêter comme vraisemblable, comme étant de style classique, ou faut-il recommencer?

Point par point, ces deux genres d'exercices invitent l'élève à la mise en œuvre des mêmes aptitudes. Ils sollicitent tour à tour son esprit de synthèse (4) (3) et (5), son imagination inventive (1) et (3), son sens de la précision (2), son imagination constructive (4), sa mémoire opportune (3) et son jugement, ce sens particulier grâce auquel nous regardons une science du dehors (5)

Hanc synthesim non modo fieri posse, sed et faciendam esse si cultui e humanitati favere velimus, cl. v. Ferdinandus Robert in lucubratione

«*Culture générale et Enseignement Européen*» perspicuis argumentis proponit; cujus sententiam iisdem verbis quibus cl. v. THOMAS DE LA A. RECIO in commentariis «*Estudios Clásicos*» III (1956) 314-317, exponimus:

«Las cualidades específicas de la cultura derivan, no del cúmulo material de datos y noticias aprendidas, sino de la forma con la que ella ha alumbrado en el espíritu, de los hábitos intelectuales y morales que ha engendrado en nosotros, de la potencialidad con que ha beneficiado el alma humana... Para M. Robert el hombre cultivado se caracteriza por los siguientes supuestos:

Una abertura de espíritu, que consiste fundamentalmente en estar dispuesto para recibir el pensamiento de otro sin oponerle la barrera de un juicio definitivo...

Otra faceta es la de estar siempre alerta, avizorando el futuro, dispuesto a recibir las novedades que se ofrezcan, por sorprendentes que sean, pero con el pie firme en el pasado, en familiaridad y comunión con él, porque el sujeto de la cultura es el ser humano que subsiste siempre, aunque tenga por objeto un devenir, también humano, que no vuelve jamás..

El último aspecto que M. Robert reconoce en el hombre cultivado es la capacidad que tiene para manejar ideas generales. Elaborar una síntesis, sin perderse en detalles... eso es privilegio de los espíritus cultivados, no viciados radicalmente en su formación primera.

Para que la cultura produzca estos efectos, a M. Robert no se le ocurre otro procedimiento en la enseñanza media que la fórmula simple de Napoleón: Latín y Matemáticas...

El ejercicio de traducción es el que mejor habitúa al alumno a separar el acto de com-

prender del acto de juzgar; en definitiva, a una operación mental abierta que ha de proporcionarle óptimos resultados.

La empresa de traducir, sobre todo, lenguas clásicas, no es empresa fácil, es una especie de «recreación» de la obra original que obliga a injertar las ideas recién arrancadas, todavía palpitantes, en un nuevo molde, dentro de un espíritu de otro idioma, por donde corre nueva savia que ha de vivificarlas para que no perezcan o enfermen. debilitadas, al trasplantarlas.

Esto exige de la inteligencia un ejercicio de sus más nobles funciones que verdaderamente pone a prueba toda la capacidad gimnástica espiritual del alumno.

La misma exigencia respecto al estudio de las Matemáticas. Si le parece mucho exigir que no entre nadie en el liceo, a los once años, si no domina la geometría, cambia la máxima platónica por otra de más hondo significado, la de que «el niño rebelde a las matemáticas es un niño que tiene necesidad de aprenderlas».

Latín y Matemáticas, tan asociados en la mente y en las palabras de muchos educadores y educandos, equivalentes en contenido formal (no en vano se le ha llamado al primero álgebra de los idiomas y matemática de las letras), son disciplinas en las que, con ser tan importante lo que hay que aprender en ellas, es lo de menos, comparado con lo que en ellas hay que razonar».

Commemoratiōne etiā digna sunt quae de cultu et humanitate deque partibus linguarum classicarum in animis excolendis habet:

«La cultura dada por nuestros Liceos de Europa será auténticamente europea en la medida en que sea ampliamente greco-latina. Si yo insisto en que el humanismo, en el sentido propio de la palabra, conserve un lugar importante, no es solamente porque en el siglo del radar un barco de vela es siempre la mejor escuela para formar un marino; es porque al estudiar las civilizaciones modernas nosotros nos instruímos, sobre todo, en las particula-

ridades que nos diferencian, y esto es indispensable: pero al leer a los antiguos, tomamos conciencia, especialmente, de aquello que no cambia y que nos hace semejantes y es tal vez más necesario ahora y, sin embargo, ¡que burla!, buscar lo que puede unir a Europa en el dominio de la civilización y de la cultura y comenzar por negar a la herencia clásica un papel fundamental».

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

BIBLIOGRAPHIA

CH. DOUTREPONT. — *La Composition et les Genres Littéraires* Neuvième édition entièrement refondue par A. Delaunoy et L. Remy Maison d'éditions Ad Wesmael-Charlier, Namur.

Vere aureus de re liber, quem maximo litterarum humanorum studiosis opere commendandum aestimo. Quamquam de Gallicae «litteraturae» cursu agitur, ita argumenti tamen ordo atque ratio adhibetur, ut nulla fere immutatione aliis quoque linguis ejus modi provinciae linguisticae facile aptetur atque conformetur.

Quod ex operis titulo commonstratur, in duas partitiones res tota dispescitur: Compositionem litterariam (pp. 17-115) et Genera litteraria (pp. 117-237). Duo quidem sunt apte inter se dispositi sciteque agitati libri, quibus clari viri A. Delaunoy et L. Remy temporibus nostris consentaneam reddidere indolem.

Post brevissimam de operis fine praefationem (p. 1), duo exstant praelectionum capitula: alterum est de elementis psychologicis (pp. 3-8); alterum vero de elementis aestheticis (pp. 9-15). Tanquam definitionum tabula, quae discipulorum menti obvio tramite deveniat. Tum corpus materiae. Id est Compositionis litterariae et Generum litterariorum, miro ordine, mira selectione, procedere tenore uno rationeque «didactica», ut ajunt

Non nulla libri complementa rem coronant, quae sunt de sermone, de colatione, de prelo, de joco radiophonico, de cinemate, de spectaculis televisis (pp. 238-243). Denique tabula analytica (pp. 245-247), indice alphabetico rerum in opere agitarum (pp. 249-253). Indice praecipuorum nominum Operum et Scriptorum (pp. 255-261) mirifice usus operis facilis commodusque redditur.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ C. M. F.

R. JARAMILLO. — *Horacio, sus mejores obras*. Traducción en verso Imprenta Nacional Bogotá, 1954.

Ex dissitis illis Columbianis plagis, ubi litterae humaniores magni cum a discipulis tum a magistris Latinitatis usque habentur, ad nos hoc de Horatiana poësi opus jam dudum pervenit. Translatio enim est, eaque versibus Hispanis exarata, praecipuarum poëticarum lucubrationum insignis vatis Venusini.

Huic praest volumini Epistula - praefatio, ad Horatianas translationes a clarissimo viro Francisco Vergara Barros conscriptas. Insignis litterarum cultoris, cui nomen Marco Fidel Suárez. Ibidem praeclara quidem de poëtica ratione Horatiana a magistro disseruntur (pp. 9-44).

Facili tum calamo conversae non nullae exstant odae quattuor Horatianorum librorum. Duodequadraginta ex primo libro (pp. 17-76); viginti ex altero (pp. 81-116); triginta ex tertio (pp. 121-175); quindecim ex quarto (pp. 179-205). Tum epodi septemdecim (pp. 209-234) et Carmen saeculare (pp. 339-243).

Clavis denique Horatiana quasdam voces faciliores intellectu reddit singulorum conversorum carminum (pp. 249-305). Nostra quidem sententia volumen hoc commodius fuisset ad mentem Horatianam capessendam, si una cum translatione Hispanica textus editus esset Latinus.

J. BERNARDUS EVENHUIS. — *De Vergilii ecloga sexta commentatio*. Universitas Groningana. Hagae Comitum - Apud «Excelsior» - MCMLV.

Ex ipso libelli titulo, una cum praefatione clari scriptoris, facile ejusdem in eo conscribendo mentem percipies. Hisce admodum versibus se habet in praefatione: «Multis nostrum nota est

controversia, quam prioribus annis viri docti habuerunt de quaestione num poema, cui titulus est Cris, Cornelio Gallo attribuendum esset itidemque num Eclogarum Vergilii sexta et decima opera Galli variis modis enumerarent. Mihi propositum est memoriam illius controversiae, quatenus e re esse videtur, repetere et ad certamen quasi gladiatorium imprimis Fr. Skutschium et Fr. Leonem sicut «Aeserninum cum Pacidelano» denuo componere».

Thesis «doctoralis» haec scita elucubratio est «Specimen litterarium inaugurale quod pro gradu Doctoris summisque in Philosophiae theoreticae et litterarum humanorum disciplina honoribus et privilegiis in Academia Groningana rite et legitime consequendis sollemni facultatis examini submittet J. B. Evenhuis».

Vergilii ecloga sexta initio libelli profertur. Institutur inde disputatio hac ratione: Eclogae VI^{ae} vs. 74-77 (pp. 1-15). Eclogae VI^{ae} vs. 78-81 (pp. 16-27). De Cornelio Gallo (pp. 28-37). Quomodo velim eclogam sextam ex se ipsa interpretaris (pp. 38-54). Adnotationes (pp. 55-65). Opus quidem magni ingenii maximeque momenti in provincia humanorum litterarum, laurea donandum Apollinari.

HJALMAR FRISK. — *Griechisches Etymologisches Woerterbuch, Lieferung 3*. Heidelberg, Carl Winter · Universitaetsverlag, 1955.

Novo hoc libello Bibliotheca Indogermanica, in altera serie, id est Lexicorum, ornatur Tertius quippe fasciculus est Lexici Graeci a praeclearo Professore Hjalmar Frisk propositi quidem tenacis exarati.

A pagina 193 ad paginam 288, et etymon et historia Graecorum vocabulorum, a voce autem αἶω ad vocem γαμψός usque, lectoris quasi animi oculis minutatim afferuntur. Magni omnino emolumentum, immo etiam momenti, magistro

praesertim litterarum Graecarum opus, quod utinam cito citius in finem perducatur, erit Hoc si opus laudas, haud certe tibitribuendum illud: Laudat venales qui vult extrudere merces.

J. COLIN. — *Juvénal et le Mariage mystique de Gracchus*. Torino, tipografia Vincenzo Bona, 1955

Interpretatione quidem peculiari legum archaeologicarum atque religiosarum illorum temporum innixus, clarus Professor J. Colin, explicationem promittit versuum Juvenalis, in Satura II, 117-142 Etenim ipsius sententia scriptoris haud sufficiens est explicatio, nempe rei aestimatio mere fabulosa (*anecdótica*), philologica adhuc a grammaticis reddita.

Elucubratio vero haec excerpta ex Actibus Academiae Scientiarum, Augustae Taurinorum, vol. 90 (1955-56). Totares fere centum paginis facilis calami atque ingenti absolvitur et completur.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

ANDRÉ MARTINET — *Économie des changements phonétiques*. Éditions A. Franke S. A Berne 1955 Rom Helv. I/X. S. Fr. 26 - br.; 29,50 gb.

Pereruditum hoc opus de phonologia diachronica ornat Bibliothecam Romanicam, quam edendam curat W. v. Wartburg. Series prima Manualia et Commentationes. X. Magistri, qui linguisticae ac philologicae arti operam penitus navare intendunt, denso in hoc volumine quadringerarum fere, earumque minutissimae scripturae, paginarum novas quidem explorationis methodos examinandas habent.

Phonologia diachronica tanquam in semen hodie abit, quod ad disciplinam in ordinem redactam attinet. Clarissimum Professore A. Martinet, hoc scito libro, quam maxime proficere ad novam disciplinam evolvendam omnes qui sapiunt convenient.

Prima operis pars (pp 9-196) rei est theoria generalis; in ea distinguitur: Introductio (pp 11-38); Functio (pp. 39-62); Structura (pp. 63-93); Oeconomia (pp 94-152); Prosodia (pp 153-172); Conclusio (pp 173-195).

Altera vero pars tota est practica et in universum «Illustrationes» vocantur (pp 199-387). Indictis ope facile lector tempori parcat in versando volumine tanto, quod in non nullis proprium, si non exclusorium, systema interpunctionis atque interpretationis adhibet. Liber certe dignus meditatione studioque, qui novas vias in linguarum provincia aperire et commonstrare natus est. Et maxima plaudenda cura Domus Editricis atque nixus in evulgando tota typographiae arte hoc novo opere.

Arctos — Nova series - Vol. I, *Commentationes in honorem Edwin Linkomies sexagenarii A. D. MCMLIV editae*. Otava, Helsinki, Kunstannusosakeyhtiö.

Collectio variarum philologicarum lucubrationum complet hoc volumen, claro viro Edwin Linkomies dicatum. Haec dicatio in libri fronte apparet: *Professori litterarum Romanarum Helsingiensis / Edwin Linkomies / Viro doctrina facundia humanitate praeclaro / A. D. XI Kal. Jan. anno MCMLIV / lustra duodecim condenti / omnia fausta felicia / grato animo / exoptant / Collegae Discipuli*. Quorum nomina primas tres voluminis pagellas ornant.

Studia atque auctores pervariii in hac collectione, quorum haec summa. Y. M. Biese: Duae relationes historiae Romanorum Grammatices (p. 9). Gudmund Björck: «Rhesos» (p. 16). Patrick Bruun: Numismata consecrationis Constantini Magni (p. 19). Erich Burck: Amor apud Plautum et Propertium (p. 32). Ingemar Düring: Aristoteles scholaris (p. 61). A. Ernout: «Consensus - concentus - consentaneus» (p. 78). R. Hakamies: «Tintinnabulum» et «equitium» in lingua Latina Finnica aevi medii (p. 80). U. Kno-

che: De notione amicitiae in Senecae epistulis ad Lucillum (p. 83). Heikki Koskenntemi: Cicero (genera epistularum) (p. 97). J. Marouzeau: Vocabulorum ordo (p. 103). Eino Mikkola: Pluralis rarior apud Isocratem (p. 108). Tauno F. Mustanoja: Proverbia Latina et Gallica in the Fourteenth-Century MS. D. 2. 12, of Sidney Sussex College, Cambridge (p. 123). Päävö Oksala: De Ciceronis loco in «purismo» lexicali (p. 132). Gunnar Rudberg (†): De oratione soluta atque constricta (p. 138). Torsten Steinby: Institutum Finnicum Romanum (p. 145). Joh. Sundwall: Parallelismus inter Graecam et Italiam in migrationibus prae-historicis (p. 154). J. Suolahti: Origo Catulli poetae (p. 159). J. Svennung: «Numero» = Nr. (p. 172). Holger Thesleff: «Ὡς ἀληθῶς et similia» (p. 184). Rolf Westman: Observatio critica ad Procli in Platonis Rem publicam commentarios (Vol. II, p. 113, 10 Kroll) (p. 190). Veikko Väänänen: De praepositione Latina de significatione partitiva (p. 192). Henrik Zilliacus: The Stolen Anchor (p. 199).

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

J. M.^a VALVERDE. — *Estudios sobre la palabra poética*. Biblioteca del Pensamiento Actual Ediciones Rialp, S. A. Madrid, 1952.

Opus hoc duodecimum est, in nobili illa «Bibliotheca Cogitationis hodiernae», cui praeclarus vir Raphaël Calvo Serer moderandae praest. Non nulli in eo recensentur poetae, de quorum sermonis natura atque nitore a Josepho M. Valverde, in poëtica arte magistro emerito lepide et concinne disseritur.

Quod quidem industria in unitatem, cum ex scriptoris proposito tum ex processu in libro conscribendo, aptius convenit. Agit vero, non modo de dictionis poëticae natura, ut ea est quasi humani sermonis plenitudo atque de adpectu ejusdem temporalis: sed etiam de hujus modi finibus, ex parte linguae abstractae. Immo in provinciis poëseos asceticae ac mysticae, id est, in sui ipsius ab-

negatione et in eo quod «ineffabile» dicitur, quosdam decursus facit.

Duae autem sunt in libro lucubrationes de Caesaris Vallejo poësi Prima tanquam introitus ad ejusdem poësim, ubi scilicet de operibus, de tempore et poësi, de sensu temporis apud poëtam, de infantia, amore, morte, caractere disputatur (pp. 15-51). Altera vero «César Vallejo y la Palabra Inocente» inscribitur (pp. 55-94). Ibi de reflexione praevia circa oculos, de verbo, de lingua Poëtae Americani, de ejusdem lingua infantili, de voce Innocenti.

Alia elucubratio est de evolutione ac sensu spiritali operis Antonii Machado (pp. 97-125). Quibus et non nulli breviusculi consequuntur commentarii: «T. S. Eliot, desde la poesía Americana» (pp. 129-143); «Ante unas versiones de Hölderlin» (pp. 147-161); «Plenitud crítica de la Poesía de Jorge Guillén» (pp. 161-186); «La Humildad de ser poeta» (pp. 189-202); «San Juan de la Cruz y los extremos del lenguaje» (pp. 205-211); «Ahora y siempre, Verlaine» (pp. 215-220). Opus hoc perfacile, ex sermonis lepore et nitore legitur.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

M. DOLÇ – *Hispania y Marcial*. Contribución al conocimiento de la España antigua Consejo Superior de Investigaciones Científicas. Instituto Antonio de Nebrija. Barcelona. Escuela de Filología.

Hoc volumen, quod clarus vir Michaël Dolç perpetuo versans atque comprobans opera M. Valerii Martialis exaravit, juglum studiorum fructus est, isque uberrimus in provincia litteraria, eoque est academicas lauros maximas in Universitate Matritensi emeritus.

Enimvero libri hujus modi pagellae, forma quasi organica, illam amplam poetae «litteraturam» Martialis sub duplici adpectu rite attingunt: de personis nempe sunt Hispanicis ab inclito

Poëta commemoratis deque locis geographicis, qui apud Martialem exstant

Methodo autem historica, archaeologica, epigraphica, litteraria, linguistica adhibita, eruditus Professor opus elaboravit, quod adhuc in scientiis historicis et palaeologicis Hispaniae desiderabatur. Quod eidem maximo opere est rependendum ab alumnis historiae nostratis pristinae.

Brevi et accurata praefatione operis propositum ab scriptore commonstratur (pp. VII-IX). Frequens de re bibliographia atque siglarum specimen in opere subsequitur (pp. XI-XXIII). Tum operis corpus in quinque capita distributum: I Roma et Hispania (pp. 3-26). II Hispania Martialis (pp. 29-65). III Personae Hispanicae apud Martialem (pp. 67-100). IV Bilbilis (pp. 107-163). V Celtiberia Martialis (pp. 169-234). Denique indice geographico (pp. 241-252), indice onomastico (pp. 253-262), indice Epigrammatum Martialensium (pp. 263-266), indice rerum (pp. 267-269), indice generali (pp. 271-272) opus totum hoc perficitur et completur. Cui non nullae paginae adduntur illustrationum graphicarum absoluta arte photographica.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

RICHARD PREISER. – *Pretiosa*. Deutsche Gedichte in Lateinischer Uebersetzung. Verlag Hermann Meister, Heidelberg, 1953.

Non nullorum Germanicorum carminum conversiones in Latinam linguam habes in hoc scito libello 85 pagellarum dispositas, a philosopho et philologo R. Preisler exarato. Per multos quidem annos in Universitate Francofurtiana litterarum Graecarum et Latinarum clarus Professor, anno 1919 in lucem edidit «Pensa Latina».

Modo autem, post ejus obitum octo transactis annis, cura Domus Editricis Hermann Meister haec opella «Pretiosa» divulgata est, quae apte Latinitatis discipulis, quasi manu in exercitationi-

bus conversionis in linguam Latinam ducet.

Aliqua, eaque brevissima, classicorum poetarum Germanorum carmina, Goethe, Schiller, Uhland, Heine, Muerike, Storm, belle ab scriptore convertuntur. Carmina vero libri tanquam variata acu tapetia: concinnitate sententiarum ornata delectant. En tibi exempli gratia, quod Matthias Claudius «Der Tod» inscripsit, latine redditum:

Mortis heu conclave ut est caliginosum
triste resonans, quando se levat
Malleum tollitque ponderosum
horam et indicat.

MARTÍN DE RIQUER. — *Los Cantares de Gesta Franceses*. Biblioteca Románica Hispánica. Editorial Gredos. Madrid.

Duplex hujus modi voluminis ex ipsius scriptoris mente propositum: cum referre de iis Gallicis quae «Cantica Gestae» dicuntur, saeculis vero XI XII, XIII confecta, et de quaestionibus in primis historicis quae inde oriuntur; tum relationem expromere quam habeant cum Hispania.

Liber est apprime elaboratus ex programmaticis quae clarus vir M. de Riquer alumnis exposuit, in Universitate Barcinonensi ab anno scholari 1948. Ibi locus quasi primus cantico *Chanson de Roland* tribuitur, neque immerito; quippe quod est unum ex antiquioribus et formosioribus «Canticis Gestae». Ibi de facto historico momentoque, de translatione poetica, de textu, de poetae arte, de scriptore, de themate abunde et diserte agitur (pp. 15-132).

Alia libri pars de «Cyclo Gutfelmens» est (pp. 132-207). Tum scriptor disserit amplissime de canticis super Carolo Magno (pp. 208-259); de canticis super subditis rebellibus (pp. 260-312); de canticis super variis thematicis (pp. 313-345); de canticis Franco-italis (pp. 346-351).

His omnibus rite ex canticorum textu et historiae studio enucleatis, non nullae exstant Conclusionum pagellae.

in quibus quasi conspectu uno tota res ab scriptore lectorum oculis mentique exprimitur (pp. 352-362). In appendice prima illud additur quod «Fragmentum de la Haya» dicitur: textus Latinus cum translatione (pp. 364-377). Haec vero translatio est clari Professoris Universitatis Barcinonensis, Ioannis Petit. Altera appendix hoc titulo potitur: El «Ensenhamen» de Guiraut de Cabreira (pp. 378-404).

IDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

JACQUES PERRET. — *Virgile, l'homme et l'oeuvre*. Connaissance des lettres. Boivin et Cie. Paris, 1952

Dum semel atque iterum hunc scriptum et elaboratum librum evolvo, semper mihi legenti novae cogitandi rationes in mentem veniunt.

In quinque enim capitibus cl. J. Perret quasi compendium totius operis Vergilianum explicat; post brevem vitam (2-13), *eglogis* sententiam P. M. Maury secutus — acri iudicio studet (14-46), illaque, ut hodie prostant, minime disjuncta poemata esse asserit, sed quasi corpus unum efficere, artificiose juxta certam symboli significationis rationem instructum: «On ne peut plus douter que Virgile ait entendu faire des Bucoliques une oeuvre profondément unitaire, fortement construite, porteuse, dans sa structure même, d'une signification spirituelle. La découverte de M. P. Maury est une des plus importantes qui aient été faites dans le domaine des études virgiliennes depuis bien longtemps».

Duplicem compositionem in *eglogis* distinguit: prima, quae quidem separatim poemata constitueret, altera, quae haec poemata in unum corpus — ut dixi — redigeret. Postea Perret de symboli significatione apud Vergilium agit. Quaestiones illas, num idyllia Theocriti in Vergilii opera promanent — ac de interpretandis *eglogis* I, IX, IV — eruditius solvit.

In intimam quoque rationem *Georgicon* incumbit et *Aeneidos*, quae est — inquit — quasi complementum votorum et studiorum quibus Vergilii animus flagraverat de Romae gloria amplificanda: «Le miracle de l'Énéide, c'est qu'elle apporte une solution à ce problème insoluble et sans rien négliger de ses données: exaltation de l'oeuvre d'Auguste, narration légendaire, évocation des caractères les plus satilants de l'histoire romaine, tout cela s'y retrouve bien; mais au lieu qu'il s'agisse de parties juxtaposées. Virgile, tout au long de son poème, a traité ces trois thèmes simultanément»

Maximi momenti sunt sententiae quibus indolem patris Aeneae depingit (133-140): «Ce que nous n'avions jamais constaté ni dans les *Bucoliques*, ni dans les *Géorgiques*, la puissance spirituelle du penseur et de l'homme a débordé peut-être les capacités organisatrices d'un art pourtant consommé. L'Énéide y a perdu sans doute en valeur littéraire, mais c'est par là qu'elle a acquis cette signification prophétique qui en a fait avec l'Évangile — le seul livre, en somme, qui puisse lui être comparé — une des colonnes de notre Occident».

Sub inscriptione «La fortune de Virgile» ea, quae in opere Vergilii in primis eminent et splendent, colligit. Hunc denique peritiam ac scitissimum librum finit propositis scriptoribus qui de Vergilio ejusdemque poetico opere sapienter egerunt.

J. GARCÍA, C. M. F.

AGAMEMNON. — *Texte d'Eschyle*, commenté par Émile JANSSENS. Maison d'Ed. Ad. Wesmael-Charlier, Namur, 1955.

Eadem via et ratione atque in aliis hujusmodi operibus Ad. Wesmael-Charlier, cl. librorum Editor, legentibus praebet Aeschylum textum Agamemnonis, luculentis Ae. Janssens explanationibus auctum. Quae vero explanationes ab

illis, quas manibus versare consuevimus — valde differunt. His enim non verba explicantur, sed auctoris mens evolvitur: tragoediae cursus seu quasi filum inspicitur. Quo fit ut singula operis fragmenta adeo propria luce circumfundantur ut totum Aeschylum opus facilius percipi ac degustari possit. Verborum vero explanationem non ad calcem, sed in extremo opere invenies, ubi breviter et dilucide difficilliora verba et sententiae enodantur.

Textus interpretationem, quae — quanvis primo obtutu simplicior forsitan videatur —, altam summamque de Aeschylum eruditionem spirat, optimam ac laude dignissimam habemus. Hujusmodi explanationibus facilius quam multis illisque argutis argumentis intelleges cur scriptores, quos classicos dicimus, aptissimi ad animos adolescentium in cultu et humanitate conformandos aestimentur.

J. SIDERA, C. M. F.

STEGEN GUILLAUME. — *Étude sur cinq Bucoliques de Virgile*. Maison d'Ed. Ad. Wesmael-Charlier, Namur, 1955.

Cum tot tantosque libros et commentationes de Vergilii *Bucolicis* videas, palam fatearis oportet cum hujus operis scriptore, bucolica opera minime nos calluisse. Nonne id produnt tot sententiae inter se dispares eorum qui bucolicorum poetica virtutem vel detrahunt vel minuunt vel penitus negant, praesertim cum carmina non in se ipsis perpendant. Illisque id quod scriptor non intendit, tribuant? Jundudum ergo hujusmodi opusculum desiderabatur in quo, collectis ac perpensis aliorum scriptorum sententiis, luculenter demonstraretur singulas eglogas plenam in se ipsis perfectamque significationem continere, adeo ut Tityrus sit Tityrus, et Menalchus non alius sit quam Menalchus, sicque ceteri pastores. Hujus operis scriptor, bucolicorum «unitatem» pervestigat eamque exponit, et unum

quemque pastorem personam proprie poetice agere, neque alterius viri illius aetatis Vergilio aequalis, allegoriam esse, plane affirmat; quod etiam luculentis argumentis confirmat ac bucolicorum carminibus, quibus studet, mirabilem seriem et juncturam inesse plene demonstrat, ubi demum quidquid poetici et humani in ipsis continetur, invenitur.

In parva appendice cl. A. proponit meritum Vergilii Bucolicorum imitatorum Dominicum Baudium.

M. F. GALIANO-F. RODRÍGUEZ ADRADOS.
— *Primera Antología Griega*. Ed. Gredos, Madrid, 1955.

Brevi futurum esse ut litterae Graecae apud Hispanos splendide florent, hujus «Anthologiae» conscriptores firmiter sperant. Qua spe freti hanc primam anthologiam in lucem edunt, ut qui linguae Graecae studio vacant, statim se ipsos classicos Graecos animo percepisse intellegant.

In prima parte (p. 11-64) complures sententiae ex optimis scriptoribus delibatae colliguntur, quo alumni jam inde ab initio linguam Graecam non fictam, sed puram putam inveniant. In altera parte, fragmenta sapienter selecta, quae multam secum ferunt eruditionem quaeque amoena et per jucunda lectione animum permulcent, continentur (p. 67-158). Tertia in parte ampliora fragmenta ex operibus scriptorum, qui facillimos habentur — ut Stus, Lucas, Lucianus, Xenophon — seliguntur (p. 161-228). Totum opus — vocabulorum indice instructum — concinnis notulis locupletatur, quae difficillima enodent et illustrent.

Hic liber, praeterquam quod alumnos ad notitiam litterarum morumque Graecorum deducit — quam notitiam in primis tradere volunt cl. vv. — loculenter ostendit cultum litterarum Graecarum apud nostrates, etsi latentem, minime mortuum esse, sed subesse vivacem, ita ut sperare liceat illum cito in fructus opimos esse erupturum.

BRUNO SNELL. — *Leben und Meinungen der Sieben Weisen*. Griechische und Lateinische Quellen erläutert und übertragen. Heimeran Verlag, München 1952 3 Aufl.

Hoc opus veluti compendium est habendum rerum omnium quae quoquo modo ad Septem Sapientes sese referunt, prout ex antiquis fontibus historicis eruuntur.

Nam primum in eo proponuntur: quaestiones de numero Sapientum juxta tempora et scriptores, eorumque vitae imago expressa; multae etiam praeter historiam fabulae — ut Septem virorum cum Croeso congressus et convivium —; ac praeterea hi philosophorum specimen ac forma habentur, prout a Platone et Aristotele aestimati sunt. Legas etiam Sapientum doctrinam sententiasque singulis ab antiquis scriptoribus tributas, fabellam tripodis (vel calicis juxta Callimachum) et eorum epistularum consuetudinem, una cum Ausonii «Ludo Septem Sapientum». Sapientes tandem videas Christi nuntios ac prophetas, et fabellam quae Septem Sapientes magistros filii cujusdam regis facit...

Loci omnes, ex scriptoribus Graecis (in primis ex Diodoro, D. Laertio, Herodoto, Platone, Plutarcho, Stobaeo) vel Romanis (ex Cicerone et Ausonio) excerpti, brevi ac lucida explicatione praemissa, in Germanicam linguam sunt conversi.

Typographica excusio et jucundus aspectus animum movent ad Septem Sapientum sententias «aeternae moralitatis» perlegendas.

J. SIDERA, C. M. F.

DOMINGO MAYOR, S. J. — *La tragedia griega*. Traducciones. Estudios. Universidad Pontificia, Comillas, 1953.

Quid sibi in hoc opere proposuerit cl. scriptor, ipse paucis exponit. Cum tragoedia totius cultus et humanitatis Graecorum quasi clavis in arcu fornicato aestimetur, operae pretium est illam

omnibus — etiam linguae Graecae ignariss — perviam facere. Quare ad verbum redduntur et «Oedipus Rex» et praecipui momenti fragmenta septem aliarum tragoediarum; fragmenta vero, non disjuncta, sed apte ad synthesisin quandam quasi «organicam» totam tragoediam complectentem, proponuntur. Nomen et brevis notitia reliquarum tragoediarum additur, tragoediarum dico Sophoclis, Euripidis, Aeschilli.

Quas qui legerit interpretationes, lectionem utiliter complebit optimis illis commentationibus quae veluti luce perfundunt singulas versiones. Quae commentationes — diuturnae meditationis fructus — sunt de theatri Graeci originibus atque evolutione (pp. 301-321), de singulorum Tragicorum notitia (pp. 353-336), de tragoediae Graecae sensu et notione seu de sententia singulorum scriptorum de diis ac moribus, de religione ac vita (pp. 237-426); de tragoediae aethetica (pp. 427-445); de philosophia tragoediae Graecae, seu de causis quae tragoediam possibilem et exstantem apud Athenienses fecerunt.

His velut consequentia duo capita adduntur, in quibus cl. scriptor sententias notionesque paganorum atque neopaganorum nostrae aetatis explicat, quos «fatalismo» ac «pessimismo» per fusas — compendiaris verbis sit venia —, commonstrat, cui altero capite opponit splendorem christianorum «optimismum», ac Christum mortis victorem, quo «absoluta est tragoedia».

Opus P. Mayor valde commendandum ducimus et summa doctrina et sapientia eruditione et synthesisi omnes «humanas virtutes» penitus complectente.

J. SIDERA, C. M. F.

V. FONTOYNONT S. J. — *Vocabulario griego*. Adaptación española del P. L. Ribot Armendía, S. J. 2.^a ed., Sal Terrae, Santander, 1955.

Ex his qui PALAESTRAM LATINAM legunt multi, Hispanicam interpretationem — vel potius accommodationem —

hujus utilissimi operis, quod denuo editur, usu cognitam habent; quo quidem opere alumni veluti manu ducuntur non modo ad vocabula Graeca — incipientibus adeo difficilia — cognoscenda, sed etiam ad Graecorum mentem penetrandam et introspiendam. Liber vix descriptione indiget. Propositis enim brevibus et maxime accommodatis locis seu fragmentis ex Xenophonte, Platone, Demosthene excerptis, singulorum verborum explanatio eorumque virtutes ad etymologiam et humanitatem spectantes, elaboratis ad calcem annotationibus de Graecorum mente et animo, quibus pueri erudiantur, describuntur.

Ut quod animo intendit scriptor aptius assequatur, in extremo opere singulos locos seu textus ad verbum redditos exhibet, et librum indicibus, quibus commodius res et verba inveniantur, instruit. In hoc ergo libro habes Vocabularium «quod quasi caput et fundamentum vocabulorum» sit, quod, qui didicerit summa facilitate et alia complura verba discet quae veluti e proprio fonte e vocabulis in «Vocabulario» contentis promanant.

J. SIDERA, C. M. F.

HERMANOS GRIMM. — *Cuentos completos*. Traducción directa del alemán por Francisco Payarols, Ed. Labor, Barcelona, 1955.

Apud omnes omnium gentium homines humanitate litterisque exultos — praecipue vero apud Germanos — fabellae et narratiunculae illae a Fratribus Grimm collectae notissimae sunt, quae puerorum voluntatem gratiamque sibi semper conciliarunt.

Quis enim nostrum memoria non tenet, dum flos aetatis viget, dum marcescit, bonam Cinereolam, fraterculos Joannellum et Margaretham, Nanos silvae, Pollicaricum, ceteros homines, homunculos qui quasi nobiscum primos vitae annos egerunt? Hi adeo nobis familiarissimi fuerunt et in animo adeo

penitus insiderunt ut ne partem quidem minimam fabellarum immutare pateremur.

Has fabellas, hominum sermone memoriae proditas – quas matres et avi lactis pueris narrabant – Fratres Grimm, primis annis saeculi XIX, litteris mandarunt.

Liber pueris traditur simplici et ingenua illa oratione qua matres filiis fabellas narrant, sed traditur etiam aetate jam adultis et senibus: non tantum his qui legere appetunt narrationes sempiterna gloriae memoria dignas ut eas pueris, qui legendi non habent facultatem, referant, sed etiam omnibus illis qui – dum varios aetatis tractus percurrunt – ingenuum illud puerorum sensum nondum amiserunt quo narratiunculae, otii consumendi causa scriptae, tanta voluptate excipiuntur: hae enim intus magna ac vera fundamenta psychologiae hominum continent in quibus fabellae litterarum et spectaculorum cinematographicorum innituntur.

Liber Fratrum Grimm miraculorum ac fabularum plenus, satis omnibus notus est ut illum laudibus persequamur.

Hanc editionem, quam Officina Libraria Labor edendam curavit – primam in qua omnes narrationes lingua Hispanica colliguntur – Franciscus Payarols optime est interpretatus eamque Eduardus Valentis diligenter recognovit.

Photographicis illis nobilissimis imaginibus Adriani L. Richter liber pulcherrime ornatur.

J. GARCÍA, C. M. F.

JOANNES BAPTISTA PIGHI. – *Latinitas variorum scripta in Latinum conversa* a J. B. Gandino, A. Gandiglio, aliis; ed. 2.^a, Marzorati, Mediolani, 1955, pp. 471.

Qui hac nostra aetate linguam Latinam emortuam praedicant et volunt, hoc pulchro et elaborato Prof. Joannis B. Pighi volumine falsum se credidisse et nuntiassse intellegent. Varia enim scripta et commentationes, quae in ope-

re continentur et explicantur. Linguam Latinam ad mentis cogitata tum veterum Romanorum tum nostrae aetatis eruditorum pura Latinitate exprimenda aptam esse ostendunt.

Opus in septem partes dividitur: quarum in prima altera, tertia loci eduntur J. LEOPARDI «de avium moribus, Parinlus de gloria, de Hesiodo»; V. MONTI «Diogenes, de Vergilio, de Socrate, de Dante»; N. MACLAVELLI «ex Historiis et ex libro De principatibus»: qui omnes fere loci a J. B. Gandino, pauci vero a J. B. Pighi in Latinum sunt conversi; in quarta parte evulgantur CARTESII «dissertatio de methodo», cujus principium St. de Courcelles convertit; BUFFONI «oratio de ratione dicendi», cujus epilogum J. B. Pighi latine reddidit; SCHILLERI «epistolicae quaestiones», quas I. Müller latine interpretatus est; in quinta J. BACCACCI «Decaëmeri libri X fabulam X» explicat Fr. Petrarca; in sexta exhibentur «Epistolae encyclicae de cinematographicis spectaculis» quas A. Bacci latine scripsit et «exempla epistularum» (praecipue Universitatis Studiorum Bononiensis – in quibus «epistolam Universitatis Salmantinae» per jucunde legimus –), quas latine scripserunt J. B. Gandinus et J. B. Pighius; opus septima parte absolvitur qua «nostrorum exterorumque poetarum carmina» in lucem eduntur.

Ut legentibus perspicuum est opuscula latine scripta sunt vel in Latinum conversa in primis ab illo praeclarissimo doctore et stili Latini conformandi magistro Adulpho Gandino, cui discipuli et asseclae consociantur; eorum interdum binas producuntur interpretationes. Notulae, quibus totum explicatur et illustratur opus, maximi sunt laboris et elaborationis hisque volumen quasi stilsticae compendium ad communem usum efficitur.

Viri docti magni facient opus quod ad Latinitatem colendam summam afferet alacritatem eoque adolescentium animi studiose incenduntur.

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.



SCHOLARES LINGUAE LATINAE COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Pretium ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap. 1042 - BARCELONA

Pretium in Hispania et America: 15 pesetarum

Extra Hispaniam: 20 pesetarum

ANN. II — (FASC. I). — N 6

M. JUNIO

A. MCMLVI

ATTENDITE, PALAESTRITAE!

CERTAMEN LATINUM

Cum contentio et aemulatio inter illos qui artes litterasque excolunt —et praecipue inter adulescentes— studium diligentiamque semper pariant multumque ad animi conformationem instituendam et expoliendam conferant, Moderatoribus PALAESTRAE ADULESCENTIUM visum est Palaestritis certamen Latinum indicare.

Pueri, adulescentes omnes qui linguam Latinam ubicumque terrarum colitis et amatis, in certamen descendite et pugnate strenue ut tandem coronari mereamini.

Certaminis leges, hae sunt:

I. — Tres constituuntur competitorum ordines: quorum primus est eorum qui quartum linguae Latinae annum attigerunt; alter vero eorum qui superiores Latinitatis annos in Lyceis, Gymnasiis, Institutis, Seminariis, Collegiis prosequuntur; tertius denique eorum qui Gymnasii expletis studiis, nihilominus linguae Latinae studere pergunt, in eaque exerceri cupiunt.

II. — Scripta, quod ejus fieri possit, machina scriptoria seu dactylographo sint exarata aut saltem dilucide manu scripta.

III. — Lucubrationes, praeter indicem seu titulum, sententia seu lemma te notentur oportet; quae sententia inscribatur etiam in chartula seu scidula una cum nomine et cognomine scriptoris ejusque domicilii, eaque chartula —Gymnasii sigillo munita vel a Moderatore subsignata— involucro claudatur; involucrum vero chartarium sententiam cum titulo inscriptam habeat.

IV. — Scripta sint adulescentium propria.

V. — Ante nonas januarias proximi anni MCMLVII ad PALAESTRAE LATINAE Moderatorem, Conde, 2, BARBASTRO (Huesca) mittantur.

Argumenta seu themata, praemia, alia videte pag. 124 [16].

Gallinulae nigrae fabella



Fuit quondam callida atque industria gallina cui ex genarum colore et corporis exiguitate «gallinula nigra» nomen erat. Sola vitam traducebat in casa stipulis arborumque corticibus tecta, quam sibi in loco ab omni voce secreto operose extruxerat. Negotiis tantum suis intenta, domunculam semper mundam atque compositam habebat.

Tamen ex adverso, haud procul a gallinulae aediculis, ardui erectique montes lapidosi exurgebant. Ibi —in tenebricoso specu sub rupibus defosso— callidissima vulpes cum matre vitam degebat.

Vobiscum cogitatis, pueri, quid vulpeculae in mentem venerit Nihil aliud quam gallinulam nigram edere. Illius vorandae cupidine flagrans secumque volvens quo modo in suam potestatem veniret, dies noctesque sollicita pervigilabat. Tantumque de voranda gallinula sordida vulpecula moliebatur ut in dies macrescere videretur.

Quadam vero die, primo mane, lumine etiam tum incerto, gallinae perniciem vulpes animo considerans e lecto statim exsurrexit; ac, postquam ossa suo jejuna gulose rosit, matri suae senectute fameque confectae vale dixit et:

—«Mater, inquit, mihi redeunti aquae ferventis ollam paratam habe, quia hac nocte sapidissimis gallinae carnibus lautissimum nobis apparabimus convivium».

Quibus dictis, saccum accepit et per proclivem montem iter est ingressa dum labra sua lambebat pilosa animum ad sucosissimam intendens comessionem.

Longo temporis spatio vulpes sinuosa via descendit et ubi ad montis radices pervenit, levi sese tradidit quieti. Post exiguum tempus humo surrexit gradumque corripuit; nemus deinde transiit et tandem ima vallis ob oculos patuit, ubi viridi gramine circumdata gallinulae casa erat.

Simul atque illam vidit, domunculam petivit suumque squalidum corpus inter dumeta abscondens, latenter ad ostium accessit. Quod tamen clausum invenit, nec ulla vox intus audiebatur.

Portam adeo vulpes pulsavit ut tandem tanta vi cesserit.

— «Quisnam tam immoderate fores compellit?», inquit gallinula nigra subito capta pavore, dum e sella surgit.

— «Ego sum», callida vulpes foris rauca respondit voce.

— «Et quae inquit gallinula, viae tibi causa est?».

Tum vulpes:

— «Fame summa pereo sanguinemque recentem bibere cupio».

Quo dicto in eam irruit igne in oculis acribus micante.

Gallinula autem confestim in stabulum ingressa est et in gallinarium ascendit. Vulpes illam secuta est; sacco humi deposito, rabidos defixit oculos in gallinam seque ad illam captendam paravit.

Cum gallinula vidit quod scelerata vulpes efficere conabatur, magno in vallem cursu capessit fugam. Vulpes vero cui celerrimi erant pedes, se post gallinam pedibus dedit donec eam deprehendit; postea in saccum immisit ac laetitia exsultans in specum suum profecta est...

Quomodo gallinula nigra deflebat! Duo lacrimarum rivuli ex ejus oculis effluebant!

Ecce autem, pueri, videte quid illi in mentem venerit. Reminiscitur se in crumena fortices portare acutas. Itaque animadvertens vulpem valde suis cogitationibus deditam iter facere, saccum forcibus scindit, desilit humum, e via sumit lapidem eoque in saccum caute demisso sese in domunculam suam confert.

Interea vulpes mater filiae reditum anxia sperans, ignes in foco suscitabat et corticibus siccis e silva apportatis nutrebat ut magna vi aquae in olla efferveret.

Vespere, vergente jam sole, in speluncam vulpes filia pervenit.

— «Mater, inquit, summo gaudio exulto: intra saccum hunc gallinulam nigram teneo; jucundissimam cenam hac nocte cenabimus.

Quae cum dixisset, ollae operculum sustulit ut intus gallinam injiceret; sed pro gallina, cecidit lapis in profundam ollam, qua perfracta, fervens aqua effusa est; cumque ferventi aqua utraque contingeretur, mater nempe et filia, gravissimis plagis affectae mortem occubuerunt.

Gallinula vero placide vitam egit suaeque tempora beatissima explevit.

JESUS ARAMENDIA, C. M. F.

Epistulae mutuo dantur inter alumnos

...Collegium nostrum non longe a mari situm est ita ut discipuli aestate interdum eant ad natandum. Collegium, quod ex lapidibus durissimis (anglice: Granite) factum est, in valle quadam situm est.

In oppido ubi habito (nomine Coatbridge) magnum praesepe in media urbe aedificatum est ut memoria Nativitatis Domini Nostri ante omnes oppidanos poneretur. Velim ores pro Patria nostra ut plures mox ad veram fidem convertantur...

VINCENTIUS NEILL, *St. Mary's College, Blairs – Aberdeen–, in Scotia.*

Cui respondet: ...In Hispania mitiores sunt quam apud vos hiemes et aestates; tamen aliquoties, hieme algemus et calemus aestate. Quia montuosissimum Hispaniae est solum, peridoneum est hieme vectoribus soleis nivalibus, (*ski-man*), sed aestate advenae multi, praesertim Galli, per Hispaniam deambulant ad Hispanica visenda monumenta et amoenitatem locorum.

Bombax! fugerat me paene tibi quam plurimas de pittaciis gratias agere. Ut tibi promiseram superioribus litteris, nunc aliqua includo Hispanica pittacia quibus te arbitror oblectaturum...

PETRUS CODINA, *e Collegio Claretiano, Barbastro, in Hispania.*

...Epistulam tuam accepi, amice, et gaudeo quod, sicut ego studes ut olim sacerdos fias. Quot discipuli sunt in collegio tuo? Si tabulam geographicam consulueris, nomen Blairs non invenies cum modo pagus parvus sit; sed videbis nomen Aberdeen in Scotia septentrionali a quo Blairs quinque milia passuum abest, situs prope flumen Dee...

BERNARDUS M'ALLISTER, *St. Mary's College, Blairs – Aberdeen–, in Scotia.*

Cui responsum dat: ...In hoc collegio duo cursus sunt, et discipuli quadraginta, qui se parant omnes ut Filii Inmaculati Cordis Mariae fiant.

Nunc tibi narrabo quae feci per Hebdomadam Sanctam: Tentamina trimestralia a d. IX Idus Apriles maximo cum gaudio perfecti. Nunc, postquam his feriis animos roboravimus, iterum litteris operam damus...

XAVERIUS, *e Collegio Claretiano, Barbastro, in Hispania.*

...Tibi gratias ago propter epistulam et commentarios tuos, hancque, ad te mitto, sperans nos amicos futuros esse...

Proximo anno gravibus inquisitionibus ego operam dabo, deinde ad aliud collegium procedam ad studia complenda. Habemus in Hispania collegium Scotorum (Vallisoleti) et fortasse annis paucis ad Patriam tuam ibo...

JOSEPHUS, *St. Mary's College, Blairs – Aberdeen–, in Scotia.*

Cui respondet: ...Ego meum otium sic ago: latrunculis et calculis ludo; cursu ad metas contendo et praesertim pila (*foot-ball*) ludo semper portarius vel defensor medius; lego multos libros et fabulas...

ANTONIUS ALBALATE, *e Collegio Claretiano, Barbastro, in Hispania.*

A
E
N
I
G
M
A
T
A



Dic, quibus in terris, et eris, mihi magnus Apollo,
tres pateat caeli spatium non amplius ulnas.

Destitutus pedibus, vox est mihi nulla, remotos
ire tamen cogor, dictaque ferre locos.

Mendacium fugias. — Decipiat ne quis fratrem sermone bilinguis;
Hoc Domini per fas vindicat ira nefas.

Habes exemplum. — Exemplum nobis praebet formica laboris,
Grana ferens solitum convehit ore cibum.

Solus novit futura Deus. — Cursus fatorum novit pars nulla virorum,
Est proprium nostri scire futura Dei.

In discrimine improbi, probi. — Daemon languebat, monachus tunc esse volebat;
Ast ubi convaluit, mansit ut ante fuit.

PAEDAGOGUS

ELOGIUM SEU EPITAPHIUM (quo "curriculum vitae" cuiusdam condimentarii Bavarici enarratur)

P.	P.	P.	Quae ita legas oportet:	}	Piper Peperit Pecuniam
P.	P.	P.			Pecunia Peperit Pompam
P.	P.	P.			Pompa Peperit Paupertatem
P.	P.	P.			Paupertas Peperit Pietatem.

SOLUTIONES (Cfr PALAESTRA LATINA, a. 1956, Fasc. I, p. 63-64)

AENIGMATA: 14	Virgo	ABACUS VENEFICUS INTERPRETATUR
15	Cornix	Fortuna simul cum meritis immutatur.
16	Portus (Ortus · Thus)	Sallustius.
PICTURAE IN VERBA CONVERTUNTUR:	In-clita-menta.	Inno-cen-ter
		In-ter-ea.

...Maxime nos juvat cum tuam epistulam gratiosissimam accepisse, tum ephemeridem PALAESTRAM LATINAM, quam multi ex aequalibus nostris perlegerunt.

Nos nostram ephemeridem Acta Diurna, cui maximo cum gaudio studemus, in animo habemus ad te mittere.

JOHANNES OWEN ET BARBARA BEEG, *The Grammar School – Nantwich–, Cheshire.*

GRATUS LEO



④ EODEM DIE LEO CAPTUS EST.

⑤ IPSE ANDROCLUS A MILITIBUS VISUS, APPREHENSUS EST ET AD DOMINUM DEDUCTUS. QUI SERVUM REI CAPITALIS DAMNANDUM CURAVIT.

MIRABILI AUTEM RE CLAMORES POPULI EXCITANTUR, ANDROCLUS A CAESARE ARCESSITUR, AC POENA SOLUTUS DEMISSUS EST.

⑥

⑦

PRIMUS FEROCISSIMUS EUM AGGRESSUS EST LEO, QUI, CUM ANTIQUM VIDERET DOMINUM, STETIT AC SENSIM, TANQUAM NOSCITANS, ACCES- SIT CRURAE ET MANUS LENITER LINGUA DEMULSIT.

POSTEA ANDROCLUS ET LEO URBE TOTA CIRCUM TABERNAS EXSULTANTES IBANT.

J. Beruete

Quam de Androclis leone narrationem edimus interpretatus est ac satis scite descripsit adolescens J. Beruete, Celsonae, in Collegio Claretiano, Philosophiae alumnus.

ARGUMENTA SEU THEMATA

Certaminis Latini Palaestritis propositi, quibus praemia adduntur

I. QUI QUARTUM GYMNASII ANNUM ATTIGERUNT

[usque ad decimum quintum aetatis annum]

1. — *Gallinulae nigrae fabellam* — quae hoc editur fasciculo, pag. 118, hispanice reddant.

PRAEMIUM: «CLASICOS LABOR»: FERNÁNDEZ GALIANO, «Demóstenes»
RECIO, «Tito Livio»
VALENTÍ, «Lucrecio»

liberaliter donat officina libraria: *Editorial Labor*, Barcelona; quibus accedet liber: JARAMILLO, «Horacio», qui a Moderatore Commentarii c. t. *Vida Religiosa*, missus est.

2. — Diluvii historiam ex Sacra Scriptura eleganter describant.

PRAEMIUM: La Historia de España contada con sencillez
La Astronomía • •
La Aviación • •
Los derechos de la mujer • •
La Electricidad • •
El Oriente • •
La Misa • •

donat officina libraria: *Escelicer*, Cádiz.

3. — Soluta seu prosa oratione fabulam ex claris poëtis et scriptoribus Samaniego, Iriarte, La Fontaine, Gellert, Lessing, Roberti, aliis qui fabellas scripserunt, desumptam ipsi enarrent; quae in «duabus» ferme PALAESTRAE ADULESCENTIUM pagellis inscribi possit.

PRAEMIUM: VOX, Diccionario manual ilustrado de la Lengua Española
SPES, Diccionario ilustrado Latino-Español, Español-Latino

donat officina libraria: *Ediciones y Publicaciones Spes*, Barcelona. Quibus accedet liber: *Sertillanges «El Orador cristiano»*, qui a Moderatore Commentarii c. t. *Vida Religiosa* missus est.

II. QUI SUPERIORES LATINITATIS ANNOS EXPLENT

[usque ad undevicesimum annum]

1. — Latine evolvant: «Quid hoc anno a Magis suo festo die exspecto?» aut «Iter, quo primum aëroplano per aëra ducar, quo modo mente fingo?»

PRAEMIUM: A. BLANQUEZ FRAILE, Diccionario Latino-Español.
Diccionario Manual Latino-Español y Español-Latino

tribuit officina libraria: *Editorial R. Sopena*, Barcelona.

2. — Narrationem Catilinae Conjuratōnis ex Sallustio et Cicerone de promptam exarent.

PRAEMIUM: Corpus seu collectio opusculorum quibus est index COLECCION GREDOS (Texto Bilingüe: *Platón, Critón; Jenofonte, Anábasis, I; Helénicas, I; Tito Livio, Ab Urbe Condita, libri: XXII, XXIII, XXIV, XXV, XXIX, XXX; Texto latino y notas; Platón, Critón: Defensa de Socrates; Jenofonte, Anábasis, I; Helénicas, I; Tito Livio, Ab Urbe Condita, libri: XXII, XXIII, XXIV, XXV, XXIX, XXX; Séneca, De vita beata; Autores Latinos, De rebus Hispaniae, II; Antología Latina*

tribuit officina libraria: *Editorial Gredos, Madrid.*

3. Hos scriptorum locos fama nobilitatos in Latinum convertant: «Los molinos de viento» ex opere Cervantesii «El Quijote», 1.^a p., c. 8), aut «El contador de cuentos» (ex operibus Josephi M. Pemán, Obr. Compl. v. III, p. 64), aut narratiunculam ex Fratribus Grimm vel Perrault, aut orationem Abrahami Lincoln «The Gettysburg Address» («Fourscore and seven years»...)

PRAEMIUM: Vox. Diccionario General Ilustrado de la Lengua Española
PABON ECHAURI, Diccionario Griego-Español
Vox, Diccionario manual Francés-Español, Español-Francés

tribuit officina libraria: *Publicaciones y Ediciones Spes, Barcelona.*

Hoc argumentum evolvi etiam potest ab alumns qui in III ordine censentur (usque ad 24 aetatis annum).

III. QUI STUDIORUM CURRICULO, IN GYMNASIO, EMENSO, IN UNIVERSITATIBUS, IN SEMINARIIS, COLLEGIIS LITTERIS LATINIS VACARE PERGUNT: [usque ad vicesimum quartum aetatis annum]

1. — Locum, quem ex sententia cl. viri Menéndez y Pelayo scriptores classici in instituendis adolescentibus teneant, elegantí oratione Latina tractent.

PRAEMIUM: MENÉNDEZ Y PELAYO, vol. I - X, Bibliografía Hispano-Latina Clásica
proponit Societas: *Consejo Superior de Investigaciones Científicas, Madrid.*

2. — Illustre aliquod factum sive ex Romanorum historia sive ex suorum civium gestis —alumni apud singulas nationes— duabus pagellis depingant et explicent ut in PALAESTRA ADULESCENTIUM edi possit.

PRAEMIUM: MONTESINOS, Gramática histórica Latino-Española
GONEAGA, Comentario de las guerras de las Galias
GUILLEN, Cicerón. — J. L. MARTIN, La vida sale al encuentro

proponit officina libraria: *Escelicer, Cádiz.*

3. — Horatii carmen «Maecenas atavis» (Horat. *Carm.*, I, 1) in linguam Hispanicam eleganter transferant —carmine optandum—, summaria descriptione ac verborum et sententiarum analysi totum carmen Horatianum latine explicent.

PRAEMIUM: Diccionario enciclopédico de la Lengua Española t. I, II, III
proponit officina libraria: *Editorial Sopena, Barcelona*

Alumni primi et alterius ordinis qui e certamine victores discesserint et is qui prior cuique victori accesserit PALAESTRAM ADULESCENTIUM toto anno 1957 gratis accipient; tertii vero ordinis victores et qui victoribus proxime accesserint, per annum 1957 PALAESTRAM LATINAM dono quoque accipient; illis vero tantum qui victoribus proxime accesserint in unoquoque ordine, opusculum ex corpore seu collectione «Textos Palaestra» libenter mittemus.

MISCENTES UTILE DULCI...

LEMMATA IMPERATORUM

Salvius Otho, cum a *Vitellio* prope *Betriacum* vinceretur, in pugionem incumbendo seipsum interfecit, a. p. Ch. n. 69.

Ejus lemma: UNUS PRO MULTIS.

Aulus Vitellius, injecto cervicibus laqueo, seminudus in forum perductus, tandem minutissimis ictibus excarnificatus, uncoque in *Tyberim* tractus est a. p. Ch. n. 69.

Lemma usurpavit hujusmodi: BONUS ODOR HOSTIS, MELIOR CIVIS OCCISI.

Vespasianus, an. 69, imperator salutatus, postquam *Tito* filio suo negotium dedit *Hierosolyma* evertendi. Erat vir vere imperatoris virtutibus clarus, si avaritiam tamen excipias: siquidem latrinis etiam, semitisque imposuit tributa. Ad indignitatem rei stomachante *Tito* filio, nummum admovit naribus et: «*lucri bonus odor — inquit — undecumque advenit*».

Cum ultimum agonem subiret, e lecto sese erexit, dicens: «*Imperatorem oportet stantem mori*». Obiit a. p. Ch. n. 79.

Lemma habuit: LUCRI BONUS ODOR DE QUALIBET RE.

PHILOSOPHIA PATRUM

1. Aspera continuo mitescit
petra labore.

No hay piedra berroqueña que dentro un año no ande lisa al pasamano.

2. Vix *Augustus* adest, sentit cum frigora vultus.

Agosto, frío en rostro.

3. Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Pagan la pena los justos por los pecadores.

4. Assequitur quidvis stultus si splendeat auro.

Poderoso caballero es don dinero.

5. Nostra petit daemon, nobis dum aliena petuntur.

Nos por lo ajeno, y el diablo por lo nuestro.

6. Dimidium facti qui bene coepit habet.

Trabajo bien empezado, está medio acabado.


QUA POENA HOMO CURIOSUS AFFECTUS EST



PAEDAGOGUS

D. Ruiz, C. M. F., *adolescens pinxit*

RIDEANT PUERI!



SCALAE SUBLIMES

- 1-8-4: moraberis
6: Largior
3-7-2: Fama
11-10: Flumini
14-15: Crumenas
13-5: Macrum
9-12: Dum
16: Movet

Si quae verba proponuntur in alia mutaveris ejusdem significationis et syllabas per numeros apte divideris, verba leges quae Domino «peregrino» discipuli dixerunt...

BENJAMINUS
FORCANO

— Haec lingua parum mihi placet.
— Sed, doctor, aliam non habeo.
Celsonae JACOBUS MANCHO



...Si pectinem unius «dentis» haberes huic meo capillo...

CANITIUS QUIDAM

Heus, Ildephonse, mordetne hic canis?

— De hoc equidem ipse experimentum capere volo; canem enim hodie mane emi.


CONRADUS PATRI BLANDIENTI

— Hac nocte in somnis mihi visus es triginta marcis me donasse.

— Optime; quia heri recte fecisti, eas retinere potes.

Kirchhofen

DR DOLD



— Quanti constat haec harmonica diducenda (acordeón)?

— Ducentis pesetis.

— Non mea interest! Est enim nimis rugosa.

— Ita est; fur direpit horologium, crumenam atque omnia...

— Manuballistam non ferebas?

— Ferebam, illam vero fur non invenit.

Celsonae. JOSEPHUS E. GIRONES

RES MILITARIS

Praefectus militum: «Cibum, milites, strenue aggredimini eumque hostem habete». Convivio finito, militem deprehendit, qui lagoenam condit vini plenam.

— Quid facis?

— Tuis pareo praeceptis. Cum in praetio hostes necari nequeunt, captivi fiunt.

RAPHAEL PEREZ



ABACUS VENEFICUS

		1	2	3	4	5	6
	7	8	9		10	11	12
13	14	15	16	17		18	19
20	21	22	23		24	25	26
27	28	29	30	31	32		33
34	35	36	37	38	39		40
41	42	43	44	45		46	47
48	49	50	51	52	53		

Magister quidam ignavum discipulum reprehendit qui artem grammaticam minime didicit.

Iratus magister juvenem inspiciens exclamavit:

«—Barba crescit, grammaticam nescit».

LEONARUDS LATKOVSKI

Ludovicopoli, in C. F. A.

—Milites patrieles a centurione de re militari Interrogantur:

—Heus, tu, Commode, quid est Patria?

—Patria est mihi mater.

—Optime respondisti. Perge, Placide quid est Patria?




Placidus (Commodi patrielis): Patria, est mihi amita.

- Remora 39 12 46 28 20 34 51 17
- Ringor 3 41 21 48 33 16 50 25
- Cithara 15 31 26 9 5 35 47
- Error 23 37 29 36 52 6
- Rete 13 49 43 53 11 8
- Canales 38 51 18 47 42 14
- Cautes 40 4 24 7 25
- Syriacum
- oppidum 10 44 30 2 22
- Feminae nomen 1 27 32 19

OLEGARIUS HERREROS, C. M. F.

- Quo igitur ludo ludimus hodie?
- Latebris ludamus et perlībenter.

J. ELCANO, adolescens pinxit



PICTURAS, PUER, IN VERBA CONVERTE ET LEGE (J. BERUETE - adolescens pinxit)

Officina Libraria E. Heimeran

doctis viris ubicumque terrarum degentibus Classicorum Graecorum et Romanorum opera venalia proponit.

Totius corporis seu collectionis virtutes sunt: optima charta, nitidissimi typi, notulae et appendices quibus praecipuae explicantur res et verba; volumina linteo conteguntur suntque in primis manualia.

DIE ANTIKE URTEILE UBER DIE TUSCULUM-BÜCHER, zweisprachige Taschenausgaben antiker Autoren.

- ALKAIOS, Griechisch-deutsch. ed. Max Treu. 184 S. 1952. Leinen DM 8.80.
- AUGUSTIN, SELBSTGESPRÄCHE (Augustini Soliloquia), Lateinisch-deutsch. ed. P. Remark. 204 S. 1951. Leinen DM 8.50.
- CICERO, GESPRÄCHE in TUSCULUM (Ciceronis Tusculanae disputationes), Lateinisch-deutsch. ed. Olof Gigon. 472 S. Dünndruck. 1951. Leinen DM 12.80.
- LEBEN UND LEIDEN DES HL. EMMERAM, Lateinisch-deutsch mit Apparat. ed. Bernhard Bischoff. 108 S. mit 4 Tafeln. Weihnachten 1953. Leinen DM 5.
- HOMERISCHE HYMNEN, Griechisch-deutsch. Anton Weiher, 168 S. 1955, DM 7'50.
- HOMER, ODYSSEE, Griechisch-deutsch. ed. Anton Weiher. 748 S. 1955. Dünndruck, Leinenband DM 18. Leder DM 28.
- LUKIAN, HAUPTWERKE, Griechisch-deutsch. ed. Karl Mras. 560 Seiten. 1954 Leinen DM 15.90
- PERSIUS, SATIREN (Persii Saturae), Lateinisch-deutsch. ed. Otto Seel. 136 S. 1950. Leinen DM. 6
- PLATON, PHAIDON, Griechisch-deutsch. ed. Franz Dirlmeier. 288 S. 1949. Leinen DM 8.50.
- PLAUTUS, KOMÖDIEN (Plauti Comoediae), Lateinisch-deutsch. ed. Alfred Klotz. 308 S. 1949. Halbleinen DM 4.80.
- PROPERZ, ELEGIEN (Propertii Elegiae), Lateinisch-deutsch. ed. Wilhelm Willige, 296 S. Leinen DM 8.50.
- SAPPHO LIEDER, Griechisch-deutsch. ed. Max Treu. 248 S. 1955. Leinen DM 10.80.
- SIBYLLINISCHE WEISSAGUNGEN, Griechisch-lateinisch-deutsch. ed. Alfons Kurfess. 376 S. 1951. Leinen DM 12.
- LEBEN UND MEINUNGEN DER SIEBEN WEISEN, Griechisch, lateinisch und deutsch, Herausgegeben von Bruno Snell. 184 Seiten. Neuauflage 1952 Leinenband DM 8.
- SOLON, DICHTUNGEN, Griechisch-deutsch. ed. Eberhard Preime. 68 S. 1945. Kart. DM 2. — Pappe 2.50.
- TACITUS, ANNALEN, Lateinisch-deutsch. ed. Carl Hoffmann. 932 S. 1955. Leinen DM 21.50.

Ernst Heimeran Verlag München-Schwabing, Dietlindenstrasse 14

PROCURATORES

Palaestrae Latinae apud singulas nationes

Procuratores PALAESTRAE LATINAE apud praecipuas nationes hoc fasciculo evulgare constituimus, qui res omnes ad Commentarios spectantes sedulo agent, quos etiam ad solvendum annum pretium cives exterarum nationum facilius adire poterunt.

In Anglia: P. Superior, Claret House, STREETLY - Sutton Coldfield. Nr. Birmingham.

In Argentina: P. Raimundus Sarmiento, Constitución, 1077, BUENOS AIRES.

In Brasilia: P. Eduardus Tormo, Av. Getulio Vargas, 1193, Caixa 153, CURITIBA (Paraná).

In Canadia: P. Henricus Pujolrás, Villa Claret, Rang. St. Joseph, VICTORIAVILLE (Quebec).

In Columbia: P. Moderator, «Gymnasium», Colegio de Misioneros, BOSA (Cundinamarca).

In Republica Cubana: P. Angelus Sanz, Santuario de Ntra. Sra. de la Altagracia, CIUDAD TRUJILLO (República Dominicana).

In Chilia: R. P. Aloisius Tapia, Gran Avenida 4160 - Correo San Miguel, Cas., 7 SANTIAGO DE CHILE.

In Foederatis Americae Civitatibus: P. Patricius McPolin, St. Jude Seminary, North Dixie Highway, MOMENCE (Illinois).

In Gallia: P. Felix Alba, Seminaire des Missionaires Claretains, LE HUTREAU (M. L.) SAINTE - GEMMES - SUR - LOIRE.

In Germania, Austria, Batavia, Helvetia: Josephus García, Claretinerseminar, Mergentheimerstr. 60,a. WÜRZBURG-MAIN.

In Italia: P. Josephus Viñas, Via Sacro Cuore di Maria, 5. ROMA.

In Lusitania: P. Joachim Guilherme de Matos, R. Nova do Almada, 95, 4.º LISBOA.

In Insulis Philippinis: P. Isodorus García, Catholic Church, LAMITAN (Basilan).

In Mexico: P. Josephus Alvarez, Gabriel Mancera, 415, MEXICO 12, D. F.

In Peruvia: P. Superior, Colegio Claretiano, Independencia 1301. MAGDALENA DEL MAR.

In Iruquaria et Paraquaria: P. Paulinus Tejedor, Inca 2060. MONTEVIDEO.

In Venetiola: P. Jesus Abad, Misioneros del C. de María, Dos Caminos, CARACAS.

PALAESTRA LATINA

CERTAMEN LATINUM

Cum contentio et aemulatio inter illos qui artes litterasque excolunt —et praecipue inter adulescentes— studium diligentiamque semper pariant multumque ad animi conformationem instituendam et expoliendam conferant, Moderatoribus PALAESTRAE ADULESCENTIUM visum est Palaestritis certamen Latinum indicere.

Pueri, adulescentes omnes qui linguam Latinam ubicumque terrarum colitis et amatis, in certamen descendite et pugnate strenue ut tandem coronari mereamini.

Certaminis leges, hae sunt:

I. — Tres constituuntur competitorum ordines: quorum primus est eorum qui quartum linguae Latinae annum attigerunt; alter vero eorum qui superiores Latinitatis annos in Lyceis, Gymnasiis, Institutis, Seminariis, Collegiis prosequuntur; tertius denique eorum qui Gymnasii expletis studiis, nihilominus linguae Latinae studere pergunt, in eaque exerceri cupiunt.

II. — Scripta, quod ejus fieri possit, machina scriptoria seu dactylographo sint exarata aut saltem dilucide manu scripta.

III. — Lucubrationes, praeter indicem seu titulum, sententia seu lemma te notentur oportet; quae sententia inscribatur etiam in chartula seu scidula una cum nomine et cognomine scriptoris ejusque domicili, eaque chartula —Gymnasii sigillo munita vel a Moderatore subsignata— involucro claudatur; involucrum vero chartarium sententiam cum titulo inscriptam habeat.

IV. — Scripta sint adulescentium propria.

V. — Ante nonas januarias proximi anni MCMLVII ad PALAESTRAE LATINAE Moderatorem, Conde, 2, BARBASTRO (Huesca) mittantur.

Argumenta seu themata, praemia, alia videte pag. 124 [16].

ARGUMENTA SEU THEMATA

Certaminis Latini Palaestritis propositi, quibus praemia adduntur

I. QUI QUARTUM GYMNASII ANNUM ATTIGERUNT

[usque ad decimum quintum aetatis annum]

1. — *Gallinulae nigrae fabellam* — quae hoc editur fasciculo, pag. 118, hispanice reddant.

PRAEMIUM: «CLASICOS LABOR»: FERNÁNDEZ GALIANO, «Demóstenes»
RECIO, «Tito Livio»
VALENTÍ, «Lucrecio»

liberaliter donat officina libraria: *Editorial Labor*, Barcelona; quibus accedet liber: JARAMILLO, «Horacio», qui a Moderatore Commentarii c. t. *Vida Religiosa*, missus est.

2. — Diluvii historiam ex Sacra Scriptura eleganter describant.

PRAEMIUM: La Historia de España contada con sencillez
La Astronomía » »
La Aviación » »
Los derechos de la mujer » »
La Electricidad » »
El Oriente » »
La Misa » »

donat officina libraria: *Escelicer*, Cádiz.

3. — Soluta seu prosa oratione fabulam ex claris poëtis et scriptoribus Samaniego, Iriarte, La Fontaine, Gellert, Lessing, Roberti, aliis qui fabellas scripserunt, desumptam ipsi enarrent; quae in «duabus» ferme PALAESTRAE ADULESCENTIUM pagellis inscribi possit.

PRAEMIUM: VOX, Diccionario manual ilustrado de la Lengua Española
SPES, Diccionario ilustrado Latino-Español, Español-Latino

donat officina libraria: *Ediciones y Publicaciones Spes*, Barcelona. Quibus accedet liber: *Sertillanges «El Orador cristiano»*, qui a Moderatore Commentarii c. t. *Vida Religiosa* missus est.

II. QUI SUPERIORES LATINITATIS ANNOS EXPLENT

[usque ad undevicesimum annum]

1. — Latine evolvant: «Quid hoc anno a Magis suo festo die exspecto?» aut «Iter, quo primum aëroplano per aëra ducar, quo modo mente fingo?»

PRAEMIUM: A. BLANQUEZ FRAILE, Diccionario Latino-Español.
» » Diccionario Manual Latino-Español y Español-Latino

tribuit officina libraria: *Editorial R. Sopena*, Barcelona.

2. — Narrationem Catilinae Conjuratōnis ex Sallustio et Cicerone depromptam exarent.

PRAEMIUM: Corpus seu collectio opusculorum quibus est index COLECCION GREDOS (Texto Bilingüe: *Platón, Critón; Jenofonte, Anábasis, I; Helénicas, I; Tito Livio, Ab Urbe Condita, libri: XXII, XXIII, XXIV, XXV, XXIX, XXX; Texto latino y notas; Platón, Critón: Defensa de Socrates; Jenofonte, Anábasis, I; Helénicas, I; Tito Livio, Ab Urbe Condita, libri: XXII, XXIII, XXIV, XXV, XXIX, XXX; Séneca, De vita beata; Autores Latinos, De rebus Hispaniae, II; Antología Latina*

tribuit officina libraria: *Editorial Gredos, Madrid.*

3. — Hos scriptorum, locos fama nobilitatos in Latinum convertant: «Los molinos de viento» ex opere Cervantesii «El Quijote», 1.^a p., c. 8), aut «El contador de cuentos» (ex operibus Josephi M. Pemán, Obr. Compl. v. III, p. 64), aut narratiunculam ex Fratribus Grimm vel Perrault, aut orationem Abrahami Lincoln «The Gettysburg Address» («Fourscore and seven years»...)

Vox. Diccionario General Ilustrado de la Lengua Española

PRAEMIUM: PABON ECHAURI, Diccionario Griego-Español

Vox, Diccionario manual Francés-Español, Español-Francés

tribuit officina libraria: *Publicaciones y Ediciones Spes, Barcelona.*

Hoc argumentum evolvi etiam potest ab alumnis qui in III ordine censentur (usque ad 24 aetatis annum).

III. QUI STUDIORUM CURRICULO, IN GYMNASIO, EMENSO, IN UNIVERSITATIBUS, IN SEMINARIIS, COLLEGIIS LITTERIS LATINIS VACARE PERGUNT: [usque ad vicesimum quartum aetatis annum]

1. — Locum, quem ex sententia cl. viri Menéndez y Pelayo scriptores classici in instituendis adolescentibus teneant, eleganti oratione Latina tractent.

PRAEMIUM: MENÉNDEZ Y PELAYO, vol. I - X, Bibliografía Hispano-Latina Clásica proponit Societas: *Consejo Superior de Investigaciones Científicas, Madrid.*

2. — Illustre aliquod factum sive ex Romanorum historia sive ex suorum civium gestis —alumni apud singulas nationes— duabus pagellis depingant et explicent ut in PALAESTRA ADULESCENTIUM edi possit.

MONTESINOS, Gramática histórica Latino-Española

PRAEMIUM: GONEAGA, Comentario de las guerras de las Galias

UILLEN, Cicerón. — J. L. MARTIN, La vida sale al encuentro

proponit officina libraria: *Escelicer, Cádiz.*

3. — Horatii carmen «Maecenas atavis» (Horat. *Carm.*, I, 1) in linguam Hispanicam eleganter transferant —carmine optandum—, summaria descriptione ac verborum et sententiarum analysi totum carmen Horatianum latine explicent.

PRAEMIUM: Diccionario enciclopédico de la Lengua Española t. I, II, III

proponit officina libraria: *Editorial Sopena, Barcelona.*

Alumni primi et alterius ordinis qui e certamine victores discesserint et is qui prior cultique victori accesserit PALAESTRAM ADULESCENTIUM toto anno 1957 gratis accipient; tertii vero ordinis victores et qui victoribus proxime accesserint, per annum 1957 PALAESTRAM LATINAM dono quoque accipient; illis vero tantum qui victoribus proxime accesserint in unoquoque ordine, opusculum ex corpore seu collectione «Textos Palaestra» libenter mitemus.

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum Latinarum commentarii **BARCINONE** edendi

Commentariorum pretium: in Hispania, 38 ptarum.; in America, 43; in reliq. civ., 55 ptarum.

Pretium PALAESTRAE ADULESCENTIUM: 15 ptarum.; Extra Hispaniam et Americam, 20 ptarum.

Pretium mittatur oportet ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Apartado 1042 - BARCELONA

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - BARBASTRO (Huesca)

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

I N D E X

ANN. XXVI (Fasc. II) N. 154

M. JUNIO A. MCMLVI

N. MANGEOT, S. J., <i>De idibus martiis</i>	65
AE. ORTH, <i>De Sallustio</i>	66
A. GUERCIO, <i>Itur ad astra</i>	73
I. GONZÁLEZ, <i>Nova et Vetera: Alveare</i>	81
J. M. ^o MIR, <i>Interpretatio Latina «Magistri Perezii». Magister Pereziius, organi moderator: «Maese Pérez, el organista»</i>	84
J. HOLZER - MIR, <i>Epistularum inter socios commercium de voce «báscula»</i>	98
J. MORABITO, <i>Ad vesperam - De se ipse</i>	102
J. GARCIA, <i>Per Orbem</i>	103
J. SIDERA, <i>Collectanea</i>	106
BIBLIOGRAPHIA, González, Sidera, García, Mir	108
PALAESTRA ADULESCENTIUM:	
<i>Certamen Latinum</i>	117
J. ARAMENDIA, <i>Gallinulae nigrae fabella</i>	118
<i>Epistulae mutuo dantur inter alumnos</i>	120
<i>Paedagogus: Aenigmata</i>	121
<i>Berujete, Gratus leo</i>	122
Argumenta seu themata certaminis Latini	124
<i>Paedagogus: Miscentes utile dulci</i>	126
FORCANO, MANCHO, DOLD, GIRONES, PEREZ, <i>Rideant pueri</i>	127
HERREROS, LATKOVSKI, ELCANO, BERUETE, <i>Curiosa et jocosa</i>	128